B. C. D.

DISSERTATIO JURIS GENTIUM PUBLICI,

DE

JUSTO PRÆLIORUM EXITU,

Quam

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO.

DOMINO FRIDERICO WILHELMO,

REGNI BORUSSIÆ ELECTORATUSQVE BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c. &c.

PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,

AUGUST. AC POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO INTIMO,

DOMINO FAUTORE ac STUDIORUM SUORUM PROMOTORE PER OMNEM ÆTATEM COLENDO,

Publice defendendam ſuſcipiet

WILHELMUS FRIDERICUS de DANCKELMAN.

Ad Diem VIII. Junii h. l. c. An. MDCCVI.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

34.a

Digitized by Google

AUGUSTISSIMO ET POTENTISSIMO

REGI AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO I.

BORUSSIÆ REGI,

MARCHIONI BRANDENBURGENSI,

S. R. I. ARCHI-CAMERARIO ET ELECTORI,

SUPREMO PRINCIPI ARAUSIONUM,

MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM ET VANDALORUM, ATQVE IN SILESIA CROSNÆ DUCI:

BURGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINI: COMITI HOHENZOLLERANO, RUPPINI, MARCÆ, RAVENSBERGÆ, HOHENSTEINII, LINGÆ, MOERSIÆ, BUHRÆ ET LEHRDAMII: MARCHIONI VEHRENSI ET VLISSINGANO, DOMINO RAVENSTEINII, LAVENBURGI, BUTOVIÆ, ARLÆ ET BREDÆ,

&c. &c.

REGI

AC

DOMINO SUO

LONGE CLEMENTISSIMO.

AUGUSTISSIME AC POTENTISSIME

R E X,

DOMINE LONGE CLEMENTISSIME.

QUod præſentem ſtudiorum meorum Academicorum fructum Tuæ, REX POTENTISSIME, MAJESTATI offerre, Sacratisſimoque nomini Tuo vilem hanc chartam inſcribere ac conſecrare auſus ſim, etſi omni arrogantiæ ſenſu abundare videatur, tamen humillimus confido, ſi minùs argu-

menti

Digitized by Google

menti dignitas ac præſtantia à temeritatis atque imprudentiæ notâ me abſolverit, Tuâ immenſâ clementiâ, regiâq; gratiâ id mihi condonatum iri. Quid enim vel ſublimius, vel ſanctius, quàm divinum illud armorum judicium, quo populorum ac Regum, ceu hujus terræ Deorum, cauſæ quaſi ad obrusſam exiguntur, earumq; fata diſpenſantur, non jure ab humano Legislatore introducto, ſed ab ipſo Sapientisſimo Numine conſtituto, ut ii, quos huic rerum univerſitati præpoſuit, controverſias ſuas inde definiant. Hanc itaque diſputationem TIBI, REX AUGUSTISSIME, ſicut me totum quàm humillimè dedo ac trado. Fuit enim hic unicus ſtudiorum, quibus in inclitis Academiis Tuis, Francofurti & Halæ, ultra quadriennium incubui, ſcopus ac finis, ut quæcunq; iis hauſerim, ea AUGUSTÆ DOMUI BORUSSICÆ, & TIBI præcipuè, Domine longè Clementisſime, qui rerum ſummam maximâ nominis Tui gloriâ ac famâ tenes, humillimè dicarem. Servet Te DEUS, delicium orbis, Europæ liberatorem, Conſervatorem

rem Germaniæ, Tutorem deniq; tot terrarũ quæ Tuo Imperio parent; Faxitq; ut hoſtes Tui omnes & juſtisſimis victoriis Tuis ſentiant, juſtitiam cauſæ maximum ad eventum belli præſidium afferre, atq; ita diſcant juſtitiam moniti & non temnere Divos. Id quod devotè precatur,

AUGUSTISSIME AC POTENTISSIME

REX

DOMINE LONGE CLEMENTISSIME

REGIÆ TUÆ MAJESTATIS

ſubjectisſimus & humillimus

WILH. FRIDER. DE DANCKELMAN.

Digitized by Google

COROLLARIA.

I.

FUrioſus nec ob crimina in ipſo furore perpetrata puniri poteſt etſi jam ſanæ mentis ſit; nec ob ea quæ ſanus commiſit, tum cùm furit.

2. Commodum privilegii perſonalis ad alios non extenditur.

3. Conceſſo caſtro cum jurisdictione in feudum, regalia in dubio non videntur conceſſa.

4. Conſenſus in contractibus etiam nutu declarari poteſt.

5. Veſtimentorum regulariter quaſi uſusfr. conſtitui ſolet.

6. Diſtinctio inter legitimos Regiæ poteſtatis fines & plenitudinem poteſtatis nullius momenti eſt.

7. Condictio furtiva adverſus hæredes in ſolidum datur.

8. Condictio indebiti cesſat, ſi errore juris ſolutum ſit.

9. Præteritione patris corruunt hodieque legata, &c. præteritione matris non item.

10. Posſesſio neque ad jus in re neque ad rem refertur.

DISSERTATIONIS
DE JUSTO PRÆLIORUM EXITU
EXORDIUM.

SUMMARIA.

§. 1. Siniſtra hominum judicia de Providentia.

§. 2. 3. Eorum cauſæ ſunt, vel ignoratio cauſarum, vel ſenſuum corrupti affectus; vel ignorantia veri juris.

§. 4. Exempla eorum qui ſine ratione ac conſilio agentes de providentiâ Divinâ ſæpe dubitârunt.

§. 5. Præcipuè eventus bellorum ac præliorum multis fortuiti videntur.

§. 6. Summa diſputationis, omnia bella ac prælia Juſto Dei arbitrio decidi.

§. 1.

EA eſt rerum omnium totiusq; univerſi admiranda Diſpoſitio, ut omnia optimo Providentiæ conſilio, nihil caſu agi appareat: ea ex adverſo humani judicii ſpiſſiſſima caligo, ut multis omnia caſu, nihil conſilio fieri videatur: Et tam improbent homines quæ evenire ſolent, quàm probaturi ea eſſent, ſi error & affectus eos à verâ ratione non abducerent.

Digitized by Google

§. 2. Etenim tria inprimis ſunt quæ hominum judicia à recto tramite in avia abripiunt: Primum, quod judicium ferunt non perſpectis vel non expenſis cauſis & circumſtantiis, atque adeo caſui tribuunt illud, cujus cauſam ignorant: Uti imperitum vulgus eclipſium, cometarum, aliaque oſtenta à caſu ſuſpendunt, quæ certisſimo Naturæ ordine eveniunt.

§. 3. Alterum quod affectuum motus & corporis ſenſus vitiatos & cum ratione pugnantes ſeqvuntur, nõ rationẽ. Deniq; quòd in ipſo Naturæ jure ac juſti rationibus errant: Quibus rebus fit, ut corruptione judicii, aut ſtudio cauſæ, aut erroribus juris, forte fieri videantur, quæ optimo providentiæ conſilio evenerunt.

§. 4. Accidit id Pompejo M., qui,à Cæſare in campis Pharſalicis acie victus, dubitare cœpit de providentiâ Divinâ, & fugâ in Cratippum Philoſophum incidens, diſputavit cum eo de hoc argumento: verùm Cratippus non credidit ea tum eſſe Pompeji tempora ut convinceretur. *Plut. in Pomp. cap. 124.* Ita & titubavit Claudianus, cùm videret, Ruffinum *Lætosq; diu florere nocentes, vexariq; pios.* Inde enim *lib. 1. in Ruff. pr.* inquit:

Sæpè mihi dubiam traxit ſententia mentem
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent martalia caſu?

At ſubito Ruffini caſu monitus, id in eorum perniciem fieri, & *Tolli in altum, ut lapſu graviore ruant*, convictum ſe fatetur: Etenim & Valer. Max. rectè docet *tarditatem uindictæ acerbitate ſupplicii penſari.* Quod & egregie Cæſar exponit; *Conſueſſe Deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum ulciſci velint, his ſecundiores interdum res & diuturniorem*

impu-

impunitatem concedere. Caſ. de B. G. L. 1. c. 3.

§. 5. Maximè verò videntur eventus bellorũ ac præliorũ eſſe fortuiti,& modò huic,modò alteri parti,adeoq; nõ ex cauſæ juſtitia cadere, cum utriusq; partis cauſa juſta eſſe non posſit: Uti enim in judiciis, ita in bellis partes, dum de jure ſuo contendunt ac diſceptant, invicem contradicunt, quæ contradictiones ſimul veræ eſſe non poſſunt. Sic in bello Cæſaris & Pompeji, cùm quisq; cauſæ ſuæ juſtitiam adverſus alterum ſibi arrogaret, contrariæ hæ fuere ſententiæ, quarum alteram Catoni qui Pompejum ſecutus eſt, alteram, ſc. Cæſaris victoris, Diis probatam ait *Lucanus Lib. 1.*

Victrix cauſa Diis placuit, ſed victa Catoni.

§. 6. Hoc igitur nunc, non pro amplitudine materiæ & magnitudine, rei quæ tanta eſt ut in juſtum volumen excreſcere tractatio posſit, ſed compendio ſaltem demonſtratum dabimus, omnia bella ac prælia juſtisſimo æque ac ſapientisſimo ſummi Numinis Conſilio, nullum verò vel fortuito caſu, vel indebito injuſtove exitu decidi.

SECTIO I.

OSTENDIT GENERALITER NULLUM BELLUM PRÆLIUMQUE NISI JUSTO DEBITOQUE FINE TERMINARI.

SUMMARIA.

§. 1. Deum eſſe, ipſa natura ac ratio, etſi revelatio Divina non eſſet, dictitat.

§. 2. Non dantur ferè Athei profesſione ſed vitâ.

§. 3. Deus rerum omnium etiam minutisſimarum curam agit.

§. 4. Summis Principibus à Deo hiſce in terris conceſſa eſt executio juſtitiæ: Ipſorum

Principum ipſe Deus judex ac arbiter eſt.

§. 5, 6. Belli alea in ſolius Dei manibus & poteſtate eſt.

§. 7. Salomonis eâ de re teſtimonium.

§. 8. Atq; hæc cauſa eſt cur & barbaræ gentes controverſias ſuas pugnâ dirimi voluerint: ſed in eo errârunt quod in cauſis privatorum idem quoq; admiſerint.

§. 9. Eandem Dei Providentiam in bellis Hanno Carthaginenſis agnovit, prædicto perfido populo Divinâ ultione.

§. 10. Item Samnites cùm pariter ob perfidiam maximis cladibus afficerentur.

§. 11. 12. Eadem religio fuit Caji Pontii Samnitium Ducis: qui antequam bellum ſuſciperet cum Romanis, offerre iis ſatisfactionem & ſic Deos placare anxiè conatus eſt.

§. 14. Idem ſenſit Furius Camillus in Oratione ad populum habitâ, cùm urbem Romanam glorioſè reſtituiſſet. Pertinent huc quoq; tres illæ clades Caroli Burgundi, qui Helvetiorum bis oblatam ſatisfactionem repudiarat.

§. 15. Idem comprobatur inſigni judicio & exemplo P. Æmilii.

§. 16. 17. Et Africani majoris.

§. 18. 19. Item Ciceronis, Juliani Imp. & Coriolani.

§. 20. 21. Eaque perpetua fuit populi R. ſententia, cum bellorum cauſis conjunctos eſſe eorum exitus.

§. 22. Idem Alexander M. luculenter in reſponſo ad Darii literas dato expreſſit.

§. 23. 24. 25. Græcos & Barbaros quoq; illud ſemper exiſtimaſſe probatur exemplis.

§. 26. In perſecutione Vallenſium nihil eo evidentius.

§. 27. Privati etiam, defendendæ innocentiæ cauſâ, cum veritas exquiri aliter non poſſet, juſto duello rem ſæpè deciderunt: quod exemplo probatur.

§. 28. Inſigne effatum Ageſilai eſt, quo Dei in bellis judicium confirmat.

§. 29. Idem in allocutione Totilas militibus ſuis egregiè demonſtravit.

§. 30. Eamq; fuiſſe inveteratam

tam omnium gentium ſententiam, Deos nimirum in bellis juſtæ cauſæ patrocinari, teſtimoniis porrò probatur.

§. 31. *Gentium illa conſenſio clariſſimè apparet ex Theologiâ ipſarum fabulari.*

§. 32. 33. *Maximos ſemper Duces antequam prælium inirent, cauſæ ſuæ juſtitiam commendare atq; exaggerare ſolitos fuiſſe: exemplis Pompeji, Cæſaris, Papirii, Mithridatis, aliorumq; docetur.*

§. 34. *In Bello Belgico Albertus æque ac Mauritius cauſæ ſuæ juſtitiam jactavit: ſed prælii totiusq; belli exitus oſtendit, quàm inviſæ ſint Deo tales conſcientiarum carnificinæ.*

§. 35. *Similiter Iſabella Alberti uxor habitâ ad milites oratione armis ſuis quamvis impiis ex prædicta cauſa juſtitiam prætexere haut dubitavit.*

§. 36. *usq; ad 40. Belli eventus cauſæ ſemper reſpondet, cæteris paribus; qua additione dubia omnia tolluntur quæ moveri aliàs poſſent. Nam quod juſta ſæpè cauſa ſuccumbat, id non reſidet in Divino judice, ſed in populo vel Duce qui cauſæ atq; officio ſuo defuit: Quod pluribus firmatur.*

§. 41. *Ergo ut fortunatus belli ſit exitus, Deo rem committi ejusq; judicium agnoſci, & bellum ritè adminiſtrari armorum virtute oportet.*

§. 1.

Eſſe ſummum aliquod numen, moderatorem univerſi perfectisſimum, eoque & juſtisſimum, Natura, & ratio, & Gentium conſenſus, & continuata à primis usque hominibus traditio & denique inſita quaſi hominibus perſvaſio, etſi revelatio divina non eſſet, abunde comprobant. *Cic. de Nat. Deor. lib. 2.* Neq; adeò hoc loco id demonſtrandum ſuſcipitur quod omnium Gentium judicio, hominumque confesſione liquet.

§. 2. Etſi enim Atheorum nomen inter homines circumferri conſtet, & Cicero duos Atheos, Diagoram

Melium & Theodorum Cyrenaicum nominet *d. tract. lib.1.in princ.* neque deſint qui non niſi voluptatibus & corpori dediti, moribuſque corrupti & perditi, ita vivunt, ut Deos non curent: Attamen illi non profeſſione ſed vitâ tales videntur, non quod profiteantur non eſſe Deos, ſed quod negligant: nec quod inficientur Deos curam rerum & hominum gerere, ſed quod ipſi id ſusque deque habeant. Denique nec id negant, Deos ulciſci ſcelera, fortè & formidant; ſed ita præſentibus corporis voluptatibus merſi volutantur, ut eorũ ſenſu quaſi faſcinati & ſubacti, ſtupore ac veterno torpuiſſe videantur, & quâdam mentis vertigine circumacti, nihil horum attendant, ſed præferant præſentanea quæ actu ſentiunt ac percipiunt, iis quæ in futurũ vel metuenda vel ſperanda videntur, adeò ut horreant de futurâ aliquâ numinis retributione malè beneve actorum audire ac inſtrui, eorumq; mentione turbari præſentia corporis commoda tam jucunda. Quin nec negatur, inveniri homines tam ſtupidos & à nemine inſtructos, in extremâ forte feritate viventes, qui Deum non tam negent, quàm neſciant. Cæterum vix quisquam rerum prudens, qui quidem exculto literis judicio, cauſam expendit & examinavit, inventus adhuc eſt, qui ſeriò ac publicè profeſſus fuerit, non eſſe ſummum Numen, vel non eſſe Deum. latè *Cic. de Nat. Deor. lib. 1. 2. & 3.*

§. 3. Hoc itaque Numen tam certum ac manifeſtum, eſſe & potentiſſimum & perfectiſſimum, eoque & juſtiſſimum, inter omnes conſtat: Cùm enim ille rerum omnium, & omnium quæ ſunt, cauſa ſit, non poteſt ulla dari potentia vel perfectio, quæ non ab ipſo ſit, & in ipſo tanquam in cauſa. Et, cùm ſumma perfectio conſiſtat in complexu omnium quæ ſunt, im-

perfectumque eſſe incipiat, cui aliquid quod eſt, vel eſſe poteſt, deeſt, patet nihil deeſſe poſſe ei, qui omnium quæ ſunt, cauſa eſt; adeoque, ut argutè Tullius loquitur, quià ſe deſeri nequit, vel, ut pleniùs Sacer Codex, *In quo & per quem omnia ſunt, & omnia moventur*, imò qui, quod plus eſt, dicitur eſſe ἄπαντα ἐν ἅπασιν. Hinc jam ſequitur, nihil in rerum univerſitate eſſe, vel fieri, quin hic univerſi Rector id curet, regat, ac perfectisſimis juſtisſimisque rationibus diſpenſet. Non enim ſtatui poteſt, perfectisſimum Rectorem univerſi ullam ſuæ poteſtatis partem negligere; ſed cum ſummæ ipſius perfectione adverſis frontibus pugnat, non omnes regiminis ſui numeros exactisſimè implere, omniumque, etiam minimorum, accuratisſimam curam habere, & nihil penitus incuratum relinquere. Ut adeò niſi per ſummum blaſphemiæ nefas aſſeri nequeat, Eum Gentium, Populorum, ſ. Regum, lites, fortunas & bella, ſuæ curæ non plenisſimè facere: cùm adeò ad omnia ejus extenſa ſit cura, ut nec pilus capite decidat præter ejus voluntatem.

§. 4. Enimverò cùm juſtitia nihil aliud ſit quàm Divinæ voluntatis regula, *L. 2. de LL.* ejus executionem ſummus ille rerum Moderator collectis in ſocietatem hominibus ſeu ſocietati humanæ ejusque Rectoribus commiſit, ut ſuâ vice in terris eam exequantur in ſingulos. At, cùm inter ipſos Rectores ſummos, liberosq; populos, qui judicem & ſuperiorem in terris non habent, lis & contentio oritur, certum eſt, ſummum Numen hoc peculiariter ſibi reſervâſſe judicium, quod alii nulli delegavit; Atque adeò inter hos cùm ipſe ἀμέσως judex ſit, certum eſt, hoc judice perfectisſimo non poſſe cauſam niſi exactisſimâ juſtitiâ decidi.

§. 5. Hoc

§. 5. Hoc jam judicio cauſa utrinque vi & armorum contentione diſceptatur, cùm inter eos qui judicem in terris non habent, alia ratio tuendi juris ſui eſſe invito altero nequeat. Hoc modo igitur cauſa in diſcrimen armorum miſsâ, eventus non amplius in poteſtate hominum eſſe, ſed hactenus alea, & fortunæ beneficium dicitur. Uti ipſe Julius Cæſar (at quantus Imperator) cùm Rubiconem, Provinciæ ſuæ finem, tranſiret, i. e. hoc ipſo facto bellum moveret, *Jacta eſt alea!* exclamat *Sveton. Cæſ. cap. 32. Plutarch. in Cæſ. cap. 48.* Quam eſſe vocem eorum *qui ſe dubiæ fortunæ & incertis periculis credunt*, indicat *Plut. d. l.* Et *Petronius in Carmine eodem hoc Cæſaris bello* id ita explicat:

Judice fortunâ cadat alea!

unde meritò belli alea dicitur.

§. 6. Hanc igitur aleam, ſ. fortunam, ſanctisſimo ſuo juſtisſimoque arbitrio moderatur unicè ille univerſi Rector, quia omnia moderatur; &, cùm hujus ſolius, non hominum hoc judicium ſit, planè dubitari vel negari nequit, non poſſe hujus armorum judicii eventum ac victoriam, hoc moderatore, niſi juſtisſimâ ratione diſpenſari; nec quod à ſolius Summi Numinis nutu pendet, ipſique ſoli relictum eſt judicium, niſi ad accuratisſimam juſtitiæ amusſim exigi. Cùm enim inter homines cauſa quæ coram juſto & perito judice vertitur, non poteſt non jure deciſa videri, qui aliter ſtatui poteſt de causâ, quæ coram Deo judice omnium juſtisſimo ac ſapientisſimo agitur, uti ſunt cauſæ ſummorum Principum ac Populorum? Atque hoc quod tam invictæ rationis eſt, præterea non modò ſacri Codicis, ſed etiam humani generis authoritate judicioque firmatum eſt.

§. 7. Ita ſapientisſimus Salomon de ſortibus in genere

genere dixit: *Sortes mittuntur in ſinus, ſed cadunt ex ſententiâ ſeu diſpoſitione Domini.* Si de aliis ſortibus, etiam privatorum, id verum eſt, nedum de ſorte & aleâ bellorum inter Principes & Populos liberos; quorum res inprimis Deo curæ ſunt. Sed cum nulla in ſacris literis eâ de re dubitatio ſit, videamus hominum gentilium & barbararum quoque gentium conſona judicia.

§. 8. Sanè enim non alia cauſa eſt, cur barbaræ gentes cauſas & lites ſuas pugnâ dirimi inſtituerint, quàm quod eâ ratione Deum ſe judicem facere, ideoque rem optimo jure deciſum iri crederent. Adeò ut talem pugnam judicium Dei, & quod pugnæ, id Dei judicio committi dicerent. In eo ſaltem exerrârunt à vero, quod pugnam admiſerint in cauſis, quibus competens in terris Judex, adeoq; judicium hominum fuit: uti in cauſis privatorum & poteſtati ſummæ ſubjectorum. His enim caſibus, non poteſt qui Autor eſt pugnæ ſecurus eſſe de eventu cauſæ ſuæ, & confidere Dei judicio, quia in cauſis privatorum ſummus ille rerum arbiter non ſibi judicium retinuit, ſed ſummis terræ poteſtatibus ſeu Magiſtratuum cognitioni commiſit. v. *Diſp. de Arm. Illic. §. 6.* In bellis Principum igitur, ubi alius judex non eſt, non fefellit gentes hæc perſuaſio.

§. 9. Graviter ſanè Hanno Carthaginienſis apud Livium *L. 21. c. 10.* id inculcat Senatui, & in memoriam revocat, *quanta paſſi bello fuerint, quod Tarento non abſtinuerint ex fœdere.* Et tum concludit: *Vicerunt ergo Dii hominesq;, & id de quo verbis ambigebatur, uter populus fœdus rupiſſet? NB. eventus belli, velut æquus judex unde jus ſtabat, ei victoriam dedit.* Imò hoc exemplo, cùm eodem modo Hannibal tum Saguntum contra

tra fœdus oppugnaret, eundem ſiniſtrum eventum belli ſecuturum prædicit Hanno *d. l. Mox Carthaginem circumſidebunt Romanæ Legiones, Ducibus iisdem Diis per quos priore bello rupta fœdera ſunt ulti.* Et deinde: *Sagunti ruinæ (falſus utinam vates ſim!) noſtris capitibus incident, ſuſceptumq; cum Saguntinis bellum, habendum cum Romanis eſt.* Nihil hujus quod Hanno prædixerat fruſtravit eventus: omnia ita accidêre, uti ipſe non ex augurio præſagierat, ſed ex eo, quod Deorum in bello judicium & arbitrium eſſet, ratione & exemplo intulerat. Unde id quoque poſtea agnovit ipſe Populus Carthaginienſis, hoc eodem bello cum Annibale à Scipione devictus; Adeò ut legatus ipſius Asdrubal, pacem & fœdera petitum, Romam miſſus, & rogatus; *Per quos Deos fœdus icturi eſſent Pœni? cùm eos per quos ante ictum eſſet fefelliſſent*, injectâ quoq; mentione prædicti Hannonis reſponderit; *Per eosdem Deos, qui tam infeſti ſunt fœdera violantibus. Liv. L. 30. c. 42.*

§. 10. Agnoverunt id Samnites, itidem perfidi, qui maximis cladibus attriti in omnibus Conciliis fremuerunt; *Minimè id mirum eſſe ſi impio bello & contra fœdus ſuſcepto, infeſtioribus meritò Diis quàm hominibus, nihil proſperè agerent. Liv. L. 8. c. 39.* Atq; ita Carthaginienſes, etſi præclarisſimis Ducibus oppugnarent injuriâ Afros, victi tamen ſunt, *Et Afrorum ſicuti juſtior cauſa, ita & fortuna ſuperior fuit.* uti loquitur Juſtinus *L. 19. c. 1.*

§. 11. Mirari liceat, eandem religionem maximè eximiam apparuiſſe in Cajo Pontio, Samnitium, Gentis truculentisſimæ, Duce: Qui, inſignis aliàs bellator, cùm ſciret, Samnites injuriis ſuis cauſam bello Romanis dediſſe, veritus eſt cum his prælio contendere, ſed miſit legatos, qui offerrent ſatisfactionem, quin deditionem autorum injuriæ. Quo facto abolita fuit in-

juria

juria, ex quâ cùm Naturali Jure obligatio ſaltem ſit ad ſatisfactionem, hâc oblatâ ampliùs non tenetur qui commiſerat.

§. 12. Hâc itaque ſatisfactione Pontius in fiduciam cauſæ ſuæ erectus, dignâ memoratu oratione, *Expiatum eſt*, inquit, *(ap. Liv. L. 9. c. 1.) quicquid ex fœdere rupto irarum in nos cœleſtium fuit. Satis ſcio, quibuscunq; Diis cordi fuit ſubigi nos ad neceſſitatem dedendi res quæ à nobis ex fœdere repetita fuerant, iis non fuiſſe cordi, tam ſuperbè à Romanis fœderis expiationem ſpretam. Quid enim ultra fieri ad placandos Deos, mitigandosque homines potuit, quàm quod nos fecimus? &c. Quid ultra tibi, Romane, quid fœderi, quid Diis arbitris fœderis debeo?* &c. *Neminem, neque populum judicem, neque privatum fugio* &c. *Ad Deos vindices intolerandæ ſuperbiæ confugiam; Et precabor ut iras ſuas vertant in eos, quibus non ſuæ res redditæ, non alienæ accumulatæ ſatis ſint &c. Juſtum eſt bellum, Samnites, quibus neceſſarium; Et pia arma, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes. Proinde* NB. *cum rerum humanarum maximum momentum ſit, quàm propitiis rem, quàm adverſis agant Diis, pro certo habete, priora bella adverſus Deos magis quàm homines geſſiſſe; Hoc, quod inſtat, Ducibus ipſis Diis geſturos.* Non potuit efficacius & verius quid dici; ipſeque *Liv. d. L. 9. c. 2.* addit: *Hæc non læta magis, quàm vera vaticinatus, exercitu educto caſtra locavit.* Factumque id fuit eo ſucceſſu, ut Conſules Romani cum toto ſuo exercitu anguſtiis Caudinis concluſi, Samnitibus dediti, prope ſeminudi ſub jugum miſſi, & quicquid extremum infamiæ ac ludibrii eſt paſſi fuerint. *Liv. d. L. 9. c. 5. 6. 7.* Meruit hoc factum uberius exponi, in quo tam præſens apparuit Numinis pro juſtitiâ bellorum vigilantis providentia, ut utraque pars perinde illam mirabundi agnoverint; Samnites adeò,

Digitized by Google

ut dolerent ſpreviſſe conſilium Herennii ſenis. *Liv. L. 9. c. 12.* Romani in tantum, ut ipſe Conſul Poſtumius, qui cladem infamiamque paſſus fuerat, in Senatu diceret: *Nihil ad Caudium humanis conſiliis geſtum eſt; Dii immortales & veſtris & hoſtium Imperatoribus mentem ademerunt &c.* ſcilicet, ut quælibet pars, altera ſpretæ ſuperbiâ ſatisfactionis, altera injurioſæ & vanæ vindictæ in hoſtem pœnas luerent.

§. 13. Adhuc illuſtrior eſt caſus ille devictæ, incenſæ, dirutæ à Gallis Romæ, nullo miſeriarum genere omiſſo. Eam cùm Furius Camillus exul glorioſè reſtituiſſet, hic Dux omni elogio major, nihil prius habuit, quàm ut Deos placaret, & oratione longè graviſsimâ ad populum habitâ, ob oculos poneret, & cladem illam funeſtiſsimam à juſtâ Deorum irâ ob violatum Jus Gentium meritò acceptam, & deinde placatis pietate populi Diis, hoſtes repentè victos & deletos, Romamque reſtitutam fuiſſe. Verùm cum cauſa & oratio prolixior ſit quàm ut tota, & elegantior ac memorabilior quàm ut mutilata hic referatur, remittimus nos ad *Livium L. V. c. 51. 52. 53. 54.* ubi tam accuratè, tantâque facundiâ rem exponit, ut nihil ſupra. Unicè illam ejus orationis particulam exhibebimus, quâ provocat ad præteritorum eventuum documenta & conſcientiam omnium, &, *Intuemini*, inquit, *horum deinceps annorum vel ſecundas res vel adverſas. Invenietis, omnia proſperè eveniſſe ſequentibus Deos, adverſa ſpernentibus.* Idque & rebus & Camilli exemplo, priorem ubique Deorum & Religionum, quàm deformis bello patriæ curam habentis, demonſtrat *Liv. L. 5. c. 49. usque ad f. Libri.*

§. 14. Ei quod inter Samnites & Romanos actum retuli-

tulimus, haud diſpar eſt illud quod inter Carolum Burgundum & Helvetios geſtum fuit. Nam præterquam quod levis belli cauſa fuit, Helvetii bis ſatisfactionem obtulerant & amplas pacis conditiones propoſuerant, quam cùm ſuperbè aſpernatus eſſet Carolus, tribus præliis victus & denique miſerabiliter occiſus eſt, prout ea omnia pluribus narrat Cominæus *L. VII. in pr.*

§. 15. Summus equidem belli Dux inter Romanos fuit P. Æmylius, Perſei Victor; at victoriæ fiduciam primùm in cauſæ juſtitiâ quam Dii adjuvarent, tum in Imperatoris induſtriâ collocavit. Unde contra Perſeum Dux belli creatus, id inprimis egit, ut exaggeratis Perſei ſceleribus ac injuriis, cauſæ juſtitiam militibus probaret, oſtenderetque, *Ea omnia quàm Diis invisa eſſent; ſenſurum eum in exitu rerum ſuarum.* Hâc re confiſus dixerat ad populum, cum ſortitus eſſet Macedoniam: *Deos huic faviſſe ſorti ſpero; Eosdemque in rebus gerendis affuturos eſſe.* Et deinde milites hortatus ut ſua curent, addit, *Cætera ſcire de ſe Diis immortalibus & Imperatori ſuo curæ eſſe. Liv. L. 44. c. 22. & 34.*

§. 16. Sed & belli illud fulmen Scipio Africanus major, Imperator inter paucos, decertaturus in Africâ pro ſummâ rerum cum Annibale, præcipuo ejus temporis belli Duce, cùm hic poſtulato ante prælium colloquio, bellorum fortunæ incerta ingereret, primum ita reſpondit, ut arma Romanorum utroq; bello Punico, ſcilicet primo &, quod tum gerebatur, altero, ab injuſtitiâ aſſereret, atq; ex eo exitum præſentis prælii auguraretur: *Neque*, ait, *Patres noſtri priores de Siciliâ, neque nos de Hiſpania fecimus bellum; ſed & tunc Mamertinorum ſociorum periculum; & nunc Sagunti excidium, nobis pia ac juſta induerunt arma. Vos laceſſiſſe & Tu,* Annibal, *ipſe fateris, & Dii teſtes ſunt, qui & illius belli exitum*

 ſecun-

ſecundùm jus faſque dederunt, & hujus dant & dabunt. Liv. L. 30. c. 31. Id præclarè ita evenit, & hoc prælium victoriâ Scipionis huic bello Punico ſecundo finem fecit.

§. 17. Idem Scipio, cùm plenus ut cauſæ ita & victoriæ fiduciâ, arderet idem bellum Punicum in Africam transferre, & detrahere Italiæ Annibalem, ei verò conſilio Q. Fabius Maximus, periculum ejus rei cauſatus, obſiſteret, reſpondit res ſuas in Hiſpaniâ geſtas memorando, & magnâ animi conſtantiâ inquit: *Lætiores ex Africa expectate nuncios, quam ex Hiſpania accipiebatis. Has mihi ſpes ſubjicit fortuna Populi Romani, Dii fœderis ab hoſte violati teſtes. Liv. L. 28. c. 44.*

§. 18. Hâc ratione M. Tullius Cicero, etſi à partibus Pompeji ſteterat, poſt victoriam Cæſaris tamen hujus cauſam, quæ antea dubia & ſub lite armorum fuerat, judicio Deorum meliorem fuiſſe fatetur: *Cauſa*, inquit, *tum dubia, quod erat aliquid in utrâque parte quod probari poſſet, nunc melior certè ea judicanda eſt, quam Dii adjuverunt. Cic. pro Q. Ligario. c. 8.* Nec alia mens Juliani Imperatoris fuit, qui oratione ad milites inquit: *Æquitati ſemper ſolere jungi victoriam. Ammian. Marc. L. 23. c. 5.*

§. 19. Id verò maximè mirum, Marcii Coriolanum, injuriis plebis patriâ pulſum, cum ſui ulciſcendi cauſâ ad Volſcos tranſiret, eosque ad bellum patriæ ſuæ inferendum inſtigaret, non tamen voluiſſe bellum illud moveri, niſi Volſci haberent & invenire poſſent juſtam belli gerendi cauſam. Ille ergo de bello cum Tullo, Volſcorum Principe, conſultans, *Prius, ajebat, juſtam piamque belli cauſam eſſe quærendam, docens omnibus negotiis adeſſe Numina; Bellicis verò rebus tantò magis, quantò & graviores ſint cæteris & incertiores ſortiri ſoleant exitus. Si ergo*, inquit, *præpropere bellum intuleris, violabis inducias, nec*

nec habebis numen propitium &c. *Dion. Hal. Antiquit. Rom. L. IIX.* Et deinde ad populum inquit: *Ante diſpiciatis, ut piam & juſtam belli cauſam habeatis d. L. 8. c. 8.*

§. 20. Atque hæc perpetua fuit Populi R. ſententia, cum bellorum cauſis conjunctos eſſe eorum eventus; quod Legati Rhodiorum de ipſis in ſenatu perhibebant, his verbis: *Certè quidem vos eſtis Romani, qui ideo felicia bella veſtra eſſe, quia juſta ſint, præ vobis fertis, nec tam exitu eorum quòd vincatis, quàm principiis, quod non ſine cauſa ſuſcipiatis, gloriamini.* Idque recenſendo ſingula fere bella Populi R. præcipua, confirmant apud *Liv. L. 45. v. 22.* Idemq; teſtatus eſt Scipio *ap. Liv. l. 30. c. 16.*

§. 21. Et adeò imbiberunt animis hanc religionem Romani, ut victoriam Scipionis de Annibale & Pœnis hoſtib9, huic cauſæ adſcripſerint, & ipſe Scipio, cùm petentibus conditiones pacis daret, quaſi parens filios monuerit, ut ad hanc malorum ſuorum cauſam animum adverterent. Ita enim Livius refert. *Poſtero die revocatis legatis, & cum multa caſtigatione perfidiæ monitis, ut tot cladibus edocti, tandem Deos & jusjurandum eſſe crederent, conditiones pacis dictæ &c. Liv. L. 30 c. 37.*

§. 22. Idem ſenſit Alexander M. qui reſponſo ad literas Darii ambitioſisſimas dato, cùm recenſuiſſet bella Græciæ à Perſis improbè illata, injuriasque acceptas, ita pergit: *Impia bella ſuſcipitis, &, cùm habeatis arma, licitamini hoſtium capita, ſicut Tu proximè, talentis mille, tanti exercitus Rex, percuſſorem in me emere voluiſti: Repello igitur bellum, non infero. Et Diis quoque pro meliore ſtantibus cauſa, magnam partem Aſiæ in ditionem redegi meam, Te ipſum acie vici &c. Curt. L. 4. c. 1.*

§. 23. Quin adeò perſuaſum id fuit barbaris quoque gentibus, ipſique Perſeo, tot ſcelerum aliàs Autori, ut, cùm initio Romanos prælio viciſſet, Legatos ex conſilio amicorum ſuorum Romam miſerit, ad

offeren-

offerendum pacem, & eadem tributa quæ Pater ſolviſſet; exiſtimans, *ſi Romani acceptâ clade ſtomachantes, rejicerent has conditiones, tum verò Numen ut juſtum eſt in eos id vindicaturum: Sibi verò propter hanc moderationem militaturos. Polyb. in Excerpt. Leg. c. 69.* Sed eo vel fefellerunt, vel errârunt amici, quod pacem ſaltem prioraque tributa obtulerint; non etiam oblatâ injuſtæ invaſionis damnorumque inde datorum reparatione.

§ 24. Non poteſt verò inſignius hujus rei argumentũ capi quam ex fato Athenienſium, qui ad anguſtias Thermopylarum parvâ civium manu innumerabilem Xerxis exercitum profligârunt, deinde verò, cùm eodem loco Philippi Regis tranſitum ſaltem prohibere vellent, victi turpiter fugatiq; ſunt; Et ex quo loco ipſi, tum aggreſſores, immenſas illas Perſarum copias pepulerunt, eum ne defendere quidem & ſervare potuerunt adverſus exiguum militum Philippi numerum. Cauſam graviſſimis verbis Trogus & ex eo *Juſtinus L. 8. c. 3.* ita exponit : *Siquidem tunc pro libertate Græciæ, nunc pro ſacrilegio publico; Tunc à rapina hoſtium templa vindicaturi, nunc adverſus vindices templorum raptores defenſuri pugnabant.*

§. 25. Pariter Moſcorum Princeps Johannes, dictus Magnus, diplomate publico, quo Livoniis perfidiam exprobat, bellumque ideo denunciat, ex juſtitiâ cauſæ ſuæ victoriam ſibi auguratur, & recitatis fœderis conditionibus, ita concludit : *Has conditiones toties jurejurando, crucis osculo, dextris porrectis & literis ſigillo utriusque gentis munitis firmatas, cùm violaverint, ſe coactum arma ſumere, ut injuriam Deo ac ſibi factam ulciſceretur; poſtquam eos fruſtra ſæpius monuerit, ne committerent ut ſanguis innoxius effunderetur, à quo ut Chriſtianum Principem decet, maximè omnium abhorreat: Sperare autem ſe, quando hæc*

culpa

Digitized by Google

culpa minimè ſua ſit, ſed eorum qui fidem fefellerunt, omnino futurum, ut Deus in mali autorum capita pœnam rejiciat. Thuanus Hiſt. ad A. 1558. in Reb. Livon.

§. 26. Mirum quoque maximè eſt quod idem celeberrimus Autor, in atrociſſimâ illâ miſerrimorum Vallenſium perſecutione, quæ A. 1560. miniſtris & facibus crudelitatis Trinitenſi Comite & Sebaſtiano quodam Virgilio, ſæviebat, accidiſſe memorat. Cùm enim hi homines ruſtici, à ſimplicitate & integritate ſuâ notiſſimi, in eâ doctrinâ quam à majoribus à 4. retro ſeculis acceperant, & in quâ nihil reprehendi potuit quàm quòd traditiones quaſdam, & inprimis ſacrificium Eccleſiæ Romanæ non agnoſcerent, perſiſtendum ſibi crederent, ideo talia crudelitatis exempla in eos edita ſunt, qualia nulla gentilium tyrannorum in Chriſtianos perſecutio tulerat, uti inprimis, quod miſeri ruſtici ſexagenarii ad ſcamnum alligati, manibus à tergo revinctis, umbilico ſcarabeum teſtâ tectum admoverunt, qui ſenſim fodiendo corpus miſeri in viſcera ejus penetravit, atque ita lento cruciatu, & inaudito mortis genere enecavit. Tantâ igitur non hominum, ſed belluarum immanitate quàm nec Virgilius nec Trinitenſis quicquam profecerint, ſed miraculo prope victi ſint, pluribus exponit Thuanus; *Tot*, inquiens, *præcedentibus prœliis & velitationibus ex Vallenſibus tantùm 14. occiſos memorant; Remque miraculo propiorem etiam ab hoſtibus habitam, ut palam in caſtris Sabaudi jactaretur, jam manifeſtum eſſe bellum quod adverſus Vallenſes gereretur, contra Dei voluntatem ſuſceptum. Et quidem Sebaſtiano Virgilio ad prœlium cum atrocibus minis vadenti, ab hoſpitâ prædictum ſcribunt; Eo die re experturum, Sabaudiæ, an Valdenſium cauſa eſſet juſtior; Nam ſi Sabaudi juſtior eſſet, ejus quoque fore victoriam. Cùm igitur vulneratus & prope exa-*

ex animis :) Nam per utramque coxam glandibus transfixus fuit ;) *in diverſorium referretur, tunc eandem hoſpitam inclamaſſe : Valdenſium potiorem cauſam eſſe, quippe qui cum exiguo numero contra tam potentem exercitum ſuperiores extitiſſent &c.* Quæ omnia & præterea pacem ipſis datam eſſe, refert *Thuanus ad A. 1561. circ. pr.*

§. 27. Sed nec exempla privatorum deficiunt, quibus cùm de defendendâ innocentiâ ageretur, nec veritas exquiri aliter poſſet, juſto duello res deciſa fuit: Sic refert *Froſſardus*, nobilis ſcriptor Gallicus, *Hiſt. L. III. in pr.* cùm in Galliis viri nobilis peregre profecti uxor, reverſo conqueſta eſſet, ſe à nobili è familiâ Alenconii vi ſtupratam, idq; ſtuprator pertinaciter negaret, nec veritas coram Senatu Pariſienſi, ubi cauſa agebatur, inveniri poſſet, placuiſſe duello rem explorari. *Statuto die*, inquit, *congreſſi ſunt, equites primum, inde pedites. Non hic cæca fortuna, ſed æquitas & virtus exercere vires ſuas: nam qui conjugis ſuæ pudicitiam vita ſua cariorem habuit, & in ea propugnanda capitis periculum non reformidavit, necato adverſario palam faciebat omnibus, eſſe vindicem Deum qui ſcelerum impunitatem non ferat. Interemtum Carnifex ad patibulum pertractum ſuſpendit, Victorem verò beneficiis & annuo proventu Rex locupletavit.*

§. 28. Præclarè quoq; hoc Dei judicium agnovit Ageſilaus Spartanorum Rex; Cùm enim Tiſſaphernes, Dux Perſarum, cum eo inducias pactus eſſet & jurejurando firmâſſet, mox autem accepto exercitu fidem violâſſet, & bellum ei indixiſſet, Ageſilaus hilari admodum fronte per eundem caduceatorem Tiſſapherni renunciari juſſit, *magnam ſe ipſi gratiam habere quod hac perfidiâ ſuâ Deos ſibi hoſtes, Græcis autem συμμάχες ſ. commilitones feciſſet. Xenoph. Hellen. L. III. fol. m. 338. 339.* Idem ferè *Plutarchus in Ageſ. c. 13.*

§. 28. Si-

§. 29. Similiter Totilas militibus in concionem vocatis monuit, *ut juſtitiam & continentiam colerent*, atq; ut probaret nihil Deo acceptius eſſe, ad ipſorummet conſcientiam provocat, *quòd, cùm æquitate poſthabita adverſ9 Italos indigna perpetrarent, centum millia hominum à ſeptē millibus victi, ac primum Imperio, deinde omnibus rebus ſpoliati ſint; poſtquam verò reſipuerint, paucos, eosq; nudos & ignavos, triginta millia deleviſſe. Sigon. de Imp. Occid. L. 19. ad A. 546. Procop. de Bell. Goth. L. III.*

§. 30. Adeò inſedit & inveteravit omnium gentium animis conſtans hæc ſententia, Deos in bellis juſtæ cauſæ patrocinari: Unde *Lucanus L. 1. v. 345.*

Arma tenenti
Omnia dat, qui juſta negat.

Quæ verba vim effectumque victoriæ notabiliter ſignificant. Hinc & Jovem bellorum moderatorem dixēre gentes, ut apud Sophoclem in *Troch. v. 25.* de pugnâ Herculis & Acheloi

Benè cecidit, belli arbitro tandem Jove.

Et Auguſtinus dixit *Epiſt. 194. Quando pugnatur Deus apertis cœlis proſpectat, & quam partem inſpicit juſtam, ei dat palmam.* Zoſimus quoq; cùm ex Polybio refert, Romanos 53. annis orbis Imperium armis quæſiviſſe, cauſam rejicit *in voluntatem Dei faventem iis, quæ cum juſta cauſa ſubeſt, pro viribus ſuſcipiuntur. Hiſt. L. 1. in pr.* Atq; ideo *Saluſt.* verisſime inquit: *Reſpublica Romana crevit labore & juſtitia de B. C. cap. 10.* Conf. Ariſt. *Rhetor. 23.*

§. 31. Vix autem aliunde clarius agnoſci poteſt univerſalis iſta gentium in hanc ſententiam conſenſio, quàm ex Theologiâ ipſarum fabulari: Quid enim eſt, quod bellis Deos ab utrâq; parte intereſſe, & inter ſe quoque pro partibus ſuis pugnare fingunt, quàm Deos inprimis bellorum curam gerere, & cauſas Principum

cipum quaſi ſuas obſervare. Ita enim & Hirtius, Julii Cæſaris amicus, cujus res geſtas continuavit, id declarat: *Dii,* inquiens, *immortales, cùm omnibus caſibus belli interſunt, tum præcipuè iis, quibus nihil ratione potuit adminiſtrari. Hiſt. de Bell. Alex. in f.* Quod magnâ ingenii laude, quaſi in ſcenâ præſentant veteres illi gentilium vates, & inter eos inprimis Homerus ac Virgilius, qui omnibus actibus & caſibus bellicis Deos Autores faciunt, eoq; non modò hanc providentiam, ſed & belli utrinque cauſas, quin & naturæ media ac præſidia exhibent: uti à partibus Trojanis Venus & Mars, ſeu adulterini amores & raptus; à Græcis Pallas, ſeu æquitas vindicandæ injuriæ, cauſam bello dediſſe, & illis Diana, Xantus, &c. i. e. ſylvæ ac fluvii; his Neptunus ac Vulcanus, ſeu mare, claſſis & ignes, præſidio fuiſſe finguntur. Sed hæc nunc prolixius non exequimur.

§. 32. Accedit denique, quod maximi ſemper belli Duces, ſummique heroës, oratione, quâ prælium inituri militum animos accendere in hoſtes conſuevére, hanc inprimis partem, ſcilicet cauſæ ſuæ juſtitiam, commendare & exaggerare ſoleant, ita, ut in eâ præcipuè victoriæ fiduciam poſitam eſſe profiteantur.

§. 33. Ita in bello Pompeji & Cæſaris, cùm utraque acies jam committeretur, uterque Dux ſuis armis jus aſſerere, eoque & ſibi & militi vincendi ſpem animosque facere contenderunt. Ita apud *Lucanum L. VII. v. 349.* Pompejus

Medio poſuit Deus omnia campo,
Cauſa jubet melior ſuperos ſperare ſecundos:
Ipſi tela regent per viſcera Cæſaris, ipſi
Romanas ſancire volent hoc ſanguine Leges.

Et non minus Cæſar *d. L. VII. v. 259.*

Hæc eſt illa dies &c.

Hæc

Hæc fato quæ teſte probet quis juſtius arma
Sumſerit, hæc acies victum factura nocentem eſt. &c.
Nunc gladios exolvite culpâ.

Papirius, inclitus Dux Romanorum, pugnaturus in Samnites, militibus primùm ſcelera & injurias Samnitium exponit, & tum concludit: *Deos immortales adeſſe propter toties petita fœdera, toties rupta* &c. Quibus adeò accendit milites, *ut ſimul divinæ humanæque ſpei pleni, clamore conſentiente pugnam popoſcerint, Liv. L. 10. c. 39.* Ita Mithridates, quas potuit Romanorum in ſe aliosque populos injurias ac flagitia, oratione ad milites confinxit, ut iram in eos Deorum & facile adeò bellum, & ex bello victoriam militibus perſuaderet: apud Juſtin. *L. 38. c. 4. ſ. 6. 7.* Eodem argumento ad milites uſus Julianus Imperator, cùm in Perſas duceret, ob oculos ponit damna ab hoſtibus culpâ Ducum accepta, & commendatâ vindictæ æquitate, ita concludit: *Erigite jam nunc quæſo, erigite animos veſtros, multa præſumentes bona, & æquata ſorte nobiscum quicquid occurrerit difficile ſubituri, & conjectantes æquitati ſemper ſolere jungi victoriam. Ammian. Marcell. L. 23. c. 5. in f.* ubi addit: *Concluſa hac oratione ad hunc gravisſimum finem* (æquitati junctam eſſe victoriam) *Ductoris gloriâ præliator miles exultans, ſpeqs proſperorum elatior, ſublatis altiùs ſcutis, nihil periculoſum fore vel arduum clamitabat* &c.

§. 34. In bello Belgico cùm Mauritius Dux Belgarum & Archi-Dux Albertus Dux Hiſpanorum, prælio in Flandria congreſſuri eſſent, uterque jactavit cauſæ ſuæ juſtitiam; Et Albertus quidem, ſolitâ Hiſpanorum ſuperſtitione, immanem in conſcientias tyrannidem pro juſtitiâ, & extortam ultimâ necesſitate ac ſævitiâ defenſionem pro rebellione venditans certam propè promiſit *in rebelles Deo ac Principi* victoriam. *Grot. Hiſt.*

Hiſt.Belg.L.9. p.561. ad A. 1600. At Mauritius *turmas interequitans, mollique vocabulo filios appellans, teſtabatur, adeſſe juſtæ vindictæ Deum, cujus majeſtatem contemtam ſæpè perjurio, hunc belli autorem eosdem ſecum habere hoſtes quos ſubruat; eandem cauſam, ſacra, jus, fidem, quæ tueatur.* Huic cauſæ præſens adfuit Numen,&Mauritius,etſi in ſummis anguſtiis, & quas præmiſerat turmæ maximâ clade propè deletæ eſſent, eoque Hiſpanorum animi maximopere creviſſent, inſigni tamen victoriâ potitus, Albertum fugavit, & præcipuum Hiſpanorum Ducem Mendozam vivum cepit. *Grot. d. L. 9. p. 563. Meteran. Hiſt. Belg. L. 21. Boterei. Comment. L. VII. ad. A. 1600.*

§. 35. Nec Albertus tantùm ſed & uxor Iſabella, Philippi II. filia, verba publicè ad milites faciens, eandem adeò à pietate & charitate Chriſtianâ, à jure, à ratione, à ſenſu communi abhorrentem, & ſæviſſimas gentilium tyrannorum perſecutiones crudelitate ſuperantem cauſam exaggeravit, *Magna mihi*, clamitans, *O invicti bellatores, fiducia eſt victoriæ; Vobis adverſus fidei hoſtes pugnantibus; Jus belli cauſæque æquitatem ſtrenuitas veſtra adæquat; tot fortiter & feliciter exhauſta bella, tot ſpolia, tot de hoſtibus partas laureas reminiſcimini, fidei inquam & Sacrorum, Regis Catholici fratris, Archiducis mariti, ac mei, cujus ditiones dotales à vobis tam æque propugnantur, quàm impiè & ſceleſtè à perduellibus oppugnantur. &c Boterej. d. L. 7. p. 549.* Ubi addit: *Hac concione quaſi claſſico accenſos milites acclamaſſe, hoſtem popoſciſſe, & vincere aut mori ſpopondiſſe.* Neutrum accidit, ſed in fugam, ut dictum, compulſi ſunt.

§. 36. Innumera alia adduci poſſent, ſed jam abundè ſatis apparet, & tum ratione certiſſimâ demonſtratum, tum omnium gentium conſenſu communique judicio, & ipſis rerum experimentis firmatum eſt, Deum

um, ceu unicum ſummorum Principum ac populorum Judicem, regere eorum lites ac bella, itáque regere, ut eventus cauſæ, ſi cætera paria ſint, reſpondeat.

§. 37. Si *cætera*, inquam, *paria ſint:* prout omnium rerum negotiorumque ea conditio eſt, ut à cauſis mutentur. Etenim hujus rei obſervatione poſthabitâ, plerumque ſiniſtrum de eventu belli judicium fit, quaſi cauſæ juſtitia non reſpondeat, cùm ſæpius videamus juſtam cauſam ſuccumbere violentiæ hoſtili, ſæpiùs Tyrannos aliosque bellorum avidos qui ſanguine & cædibus paſcuntur, mirâ armorum felicitate uti.

§. 38. Unde Dominicus Baudius, Induciarum Belgicarum ſcriptor, cùm perpenderet, ex plerisque tamen præliis Hiſpanos, poſt atrociſſima crudelitatis perfidiæque exempla, & in causâ quâ ultra humanum modum ſævierant in hominum animas & conſcientias, victores abiiſſe, non videtur auſus, ſtare aſſertioni Livii, *Eventus unde jus ſtabat, ei victoriam addixit : ſupr. §. 9.* ſed veluti hæſitans ac anceps, addit, *plerumque*, & quaſi trepidꝰ ita rem circumſcribit; ut caſus ſecus evenientes excuſare magis videatur, quàm regulæ confidere. Ita enim, & eleganter quidẽ, inquit. *Nec eventui ſemper credendum, qui plerumq; unde jus ſtabat, ei victoriam addicere ſolet. Nec tamen id perpetuò ſic ſe habet, moderante rebus humanis divina prudentia, cui ſua conſtat ratio, tametſi nulli reddatur. de Induc. Belli Belg. L. 2. p. 115.*

§. 39. Verùm enim vero neutiquam hic hæſitandum, ſed ſalva ubiq; ita omnium ratio eſt, ut non dubitem, eam, ſi omnia quæ ad cauſam pertinent ſub examen revocentur, ac ritè appareant, reddi quoque poſſe, cœterum; quoties aliter res cadunt ac pro jure creditum eſt, facti rationes aut non apparere, aut non agnoſci.

§. 40.

§. 40. In genere igitur inferendum eſt ex prædictis. Quoties reapſe contingit, ut exitus belli non reſpondeat cauſæ juſtitiæ, id non reſidere in divino judice, ſed in parte: nec ideo deficere eventum, quòd æquiſſimus & perfectisſimus judex ſuas vices deſtituerit, ſed quod pars ipſa ſuas: nec illum, ſed hanc officio ſuo cauſæque defuiſſe.

§. 41. Quod ut evidenter appareat, id de quo quæritur ob oculos ponendum eſt: quemadmodum enim, ſi privatus judicio jus ſuum adverſus alterum ſibi aſſerit, judicem agnoſcere, adire, & coram eo cauſam ritè agere debet, ita ſi populus vel Princeps qui nullum niſi Deum judicem habet, cum altero ſimili Principe de jure contendit, inprimis hoc ſummi Numinis judicium agnoſcere, ei rem committere, ac jus ſuum ritè perſequi armorum virtute debet; quod ſi non faciat, ipſemet ſolus cauſa eſt, cur judicium hoc ceſſet nec exitum ſortiatur. De quo proinde ſigillatim in ſequentibus ſectionibus agetur.

SECTIO II.

DE PRÆLIIS EX JUSTA CAUSA, SED INAUSPICATO INITIS.

SUMMARIA.

§. 1. Prima ſiniſtri exitus cauſa eſt, bella nullum Dei, ceu Judicis, reverentiâ & agnitione judicii ſuſceptum.

§. 2. Hoc caſu (1.) Deus non cauſæ controverſæ Judex, ſed ſuæ vindex potius erit.

§. 3. (2.) Pars ipſa Judicium aſpernat videtur.

§. 4. Nec (3.) tam Bella erunt, quàm homicidia ac rapinæ.

§. 5. Itaque bellum quaſi judice Deo pie gerendum.

§. 6. Hoc & cæteræ Gentes & inprimis Romani ſenſerunt.

7. Re-

§. 7. Romani omnibus negotiis publicis, & maxime bellis Deos adhibuere.

§. 8. T. Manlius accuſatus, quod ſine Deorum auſpiciis bellum geſſiſſet.

§. 9. Papirius dubiis auſpiciis profectus ideò è caſtris Romam rediit, vetuitq; ne interim cum hoſte pugnetur: cùm igitur Fabius contra edictum, ſed egregie pugnaſſet, ſupplicio in eum animadvertere voluit, quod Djis dubiis in Remp. diſcrimē adduxiſſet.

§. 10. Exemplum alterius Papirii.

§. 11. Quo clariores Heroës, eo Deorum & pietatis in bello obſervantiores fuêre.

§. 12. Semper infelicisſimè Romanos pugnaſſe religione neglecta oſtenditur inter alia exemplis Claudii in mari Siculo, & Flaminii ad Thraſimenum.

§. 13. Confesſione item & teſtimonio Ciceronis.

§. 14. Comparatio eâ in re gentilium cum Chriſtianis.

§. 15. Concluditur, Prælia ſine Divino Numine etſi ex juſta cauſa ſuſcepta, infeliciter exire.

§. 1.

INprimis igitur requiritur, ut populus vel Princeps, qui juris ſui æquam deciſionem ac patrocinium, Deo Judice expectat, hoc ſummum judicium agnoſcat, eique cauſam ſuam ſubmittat.

§. 2. Aliàs enim (1.) non publicâ ſupremi hujus judicis, ſed ſuâ privatâ autoritate & quaſi ſine judice cauſam agit: non ut coram hoc competente ſuo judicio & quaſi ejus ſanctisſimo arbitrio rem gerens, ſed ſuis armis viribusq; unicè confiſus. Ut adeò non posſit ejus judicii arbitrium à parte expectari, coram quo pars non agit. Etſi igitur æternum illud Numen non ceſſet, ut omnia, ita & hoc bellum ſapientisſimè regere, non tamen cauſæ judicis vices in eo peragit, ſed vindicis.

§.3. Etenim (2.) cùm hic potentisſimus rerum Creator & arbiter omnia nutu ſuo gubernet, atque ut talis agnoſci colique ab hominibus velit, omnium hominum eſt, hoc tremendum numen in omnibus actionibus reſpicere, & reverenter quàm maximè habere, nedum in rebus tanti momenti ut ſunt bella. Æquum igitur eſt, talem bellatorem potius ſpreti Numinis contemtique ſummi Judicii pœnas eodem hoc bello luere, quàm Divini patrocinii beneficium ſentire.

§. 4. Inprimis (3.) Cùm ea, quæ bello fiunt, non ſint poteſtatis humanæ, uti cædes hominum, humanique ſanguinis prodiga effuſio, omniaq; vaſtationum & violentiarum genera, quæ omnium maximè naturâ vetita, hominibusq; in homines interdicta ſunt. Hæc igitur ſi quis ſummi rerum arbitri auſpicia aſpernatus ſuis unius auſpiciis aggreditur ac molitur, quid aliud ea ſunt quàm mera homicidia, rapinæ & atrocisſimæ injuriæ.

§. 5. Non poteſt itaq; de his rebus ipſe ſuo jure ſtatuere, nec adeò pium juſtumq; bellum videri, niſi hoc animo ſuſceperit, ut necesſitate adactus, & juri ſuo confiſus, cùm aliis modis id tueri ac reparare nequeat, cauſam ſuam hoſtemq; Dei judicio committat, ipſiusq; arbitrium piis ritibus votisque requirat, ut is exitu armorum decernat, orbique oſtendat, quæ pars tantorum malorum injuriarumq; cauſa ſit.

§. 6. Incredibile verò dictu eſt, quantopere Gentes, & præ cæteris omnibus Romani hoc intellexerint, quantoq; ſtudio, religione, pietate obſervaverint. Nimis longum foret colligere Gentium in hanc rem conſenſum: omnium loco erunt exempla Populi Romani, tot Seculorum admirandis ſucceſſibus divinitus firmata comprobataq;. Hoc modo expeditionem ſuam in

Africam

Africam cœpit incredibili ſucceſſu; *Liv. lib. 29. c. 27.* plurimiq; alii, quos referre longum eſſet.

§. 7. Ea enim fuit hujus Populi, ejusque maximorum belli Ducum religio, tantaq; Deorum veneratio, ut *omnibus rebus incipiendis gerendisq; Deos adhibuerint:* teſte *Liv. L. 38. c. 48.* nedum in bellis & prœliis. Ita ſanè nullum bellum commiſſum fuit, niſi peractis ritè ſacris, tantâ curâ ac religione, ut ſi vel minimum ritibus deeſſe, aut ſi quid pollutum, ſi vitio litatum videretur, repetenda ex integro fuerint auſpicia, & qui Autores rei eſſent, officio moti. Multa hanc in rem cumulat *Val. Max. L. I. c. 1. per tot.* ubi *n. 7.* inde ita concludit: *Non mirum igitur, ſi pro eo Imperio augendo cuſtodiendoq; pertinax Deorum indulgentia ſemper excubuit, quod tam ſcrupoloſà curâ parvula quoq; momenta religionis examinare videtur, quia nunquam remotos ab exactiſſimo Ceremoniarum cultu oculos habuiſſe noſtra civitas exiſtimanda eſt.* Et mox *n. 9. Omnia poſt religionem habenda ſemper civitas noſtra duxit, etiam in quibus ſummæ majeſtatis decus conſpici voluit &c.*

§. 8. Hinc cùm T. Manlius, qui, cùm ſaltem commiſſum ei eſſet pacem cum Antiocho in Aſiâ perficere, bellum in Gallo Græcos moverat, & feliciſſimè finierat, triumphum idcirco peteret, Legati Romani acerrimè ideò contràdixêre, quia injuſſu Populi Romani, atque adeò inauſpicato, & omiſſis quæ feciali jure perſcripta erant, (uti maximè Deorum auſpiciorumque religio) bellum geſſerat. Id verò magna contentione ad Populum urgent: *Vultis ergo hæc omnia pollui & confundi? Tolli fecialia jura? Nullos eſſe feciales? fiat (pace Deum dixerim) jactura religionis; oblivio Deorum capiat pectora veſtra: &c. Liv. L. XXXIIX. c. 46.* Neque hæc negabat Manlius, ſed excuſatâ & purgatâ primùm

 mùm

mùm ſuſcepti belli neceſſitate, teſtatur, *ſe è Capitolio votis ritè nuncupatis profectum fuiſſe. Liv. d. L. c. 48.*

§. 9. Quis verò non miretur factum fortisſimi Ducis L. Papirii, qui, cùm ad bellum Samnitium, quo vix ullum funeſtius Romanis accidit, incertis auſpiciis profectus, ejusque vitii ab auſpice admonitus eſſet, è caſtris abiit, & edicto ſeverisſimè ne quis interim cum hoſte pugnaret, Romam rediit, dum interea Q. Fabius, MagiſterEquitum, rei præclarè gerendæ occaſionem nactus, contra Edictum pugnavit inſignemq; ex hoſte victoriam reportavit. *Liv. L. 8. c. 30.* Id verò facinus tam felix pertinacisſimè damnavit, & Fabium ad ſupplicium popoſcit Papirius Dictator, tum quod hoc exemplo ſolviſſet diſciplinam militarem; tum inprimis eâ ratione, quod non ritè peractis Deorum auſpiciis Rempublicam in diſcrimen miſiſſet. Hoc ubique ingeminabat, & citato ad Tribunal Fabio, inter alia plura ita eum interrogabat: *Itemq; illud interrogo, cum me incertis auſpiciis profectum ab domo ſcirem, utrum mihi turbatis religionibus reſpubl. in diſcrimen committenda fuerit, an auſpicia repetenda, ne quid dubiis Diis agerem? Simul illud: Quæ Dictatori religio impedimento ad rem gerendam fuit, num eâ magiſter Equitum ſolutus ac liber potuerit eſſe?* Tum porrò arguit; *Quo tu Imperio meo ſpreto, NB. incertis auſpiciis, turbatis religionibus, adverſus morem militarem diſciplinamq; majorum, & Numen Deorum, auſus cum hoſte confligere. d. L. 8. c. 32.* Et, licèt cum Fabio ſtaret exercitus, & Senatus Majeſtas, & favor populi, & Tribunorum auxilium, nihil tamen remiſit Dictator, identidem inclamans; *Se perſtiturum in incepto, nec ei, qui adverſus dictum ſuum, turbatis religionibus, ac dubiis auſpiciis pugnaſſet, quicquam ex juſtâ pœnâ remisſurum.* Tum oſtendit periculum reip. laxatâ legitimi Imperii autorita-

ritate, *ſi nemo hominum, nemo Deorum verecundiam habeat; non Edicta Imperatorum, non auſpicia obſerventur. d. L. 8. c. 34.* Quo argumento pervicit tandem, ut cauſâ omnes cederent, & ad preces converſi, donari ſibi Fabium peterent. *d. L. 8. c. 35.*

§. 10. Alter quoque Papirius, cùm Collegæ nuncium mitterent, *ſibi in animo eſſe poſtero die cum hoſte confligere*, addidit tamen, *ſi per auſpicia liceret*, quibus nocte ea curatis cùm pullarius auſpicium mentitus eſſet, lætatus eo Conſul, *Deis Autoribus rem geſturos dixit, & ſignum pugnæ propoſuit.* Interim renunciatur auſpicium falſum fuiſſe; Quo nihil motus *Qui auſpicio*, ait, *adeſt, ſi quid falſi nunciat, in ſemetipſum Religionem recipit.* Jubet inde pullarios inter prima ſigna conſtitui, & cùm reus ictu teli ante congreſſum caderet, *Dii*, exclamat, *in prælio ſunt, habet pœnam noxium caput. Liv. L. 10. c. 40.* Et mox alio augurio lætior; *Nunquam*, ait, *humanis rebus magis præſentes interfuiſſe Deos:* Et prælio commiſſo ita cecídit hoſtem, ut vix alia clarior victoria ex hoſte fuerit.

§. 11. Enim verò quò majores & clariores fuêre belli Duces ac heroës, eò magis conjuncta fuit cum ipſorum fortitudine Deorum religio ac in Deos fiducia & pietas, & ſacrorum cura, tum ineundo Deorum auſpiciis bella ac prælia, tum re bene geſtâ gratiis ſolenniter iiſdem agendis: cujus rei innumera exempla ſunt *apud Liv. L. 44. c. 22. & 34. & l. 4. c. 13. in f. lib. 27. in f. lib. 28. c. 9. &c.*

§. 12. E contrario, cum ſpretis impiè Deorum auſpiciis P. Claudius, Conſul Romanus, navibus congredi cum hoſte pararet, claſsis perdita & eo ipſo in loco ubi Deos eluſerat, demerſa, *ipſeq; non ab hoſtibus, ſed à Diis ipſis ſuperatus dicitur, quorum auſpicia contemſerat.* ut inquit *Florus Hiſt. L. 2. c. 2.* Et tanta hæc cla-

 des

des fuit, ut Romani cum inſigni claſſe Imperium quoque maris amiſerint, Pœnisq; eo ceſſerint. *Polyb. L. 1. Hiſt. c. 49. & ſeqq. & c. 55. & ſeqq. Val. Max. L. 8. c. 1. n. 4. Cicero de N. D. L. 2. circa pr.* Cui cladi ſimilis eſt altera, quæ ad Thraſimenum, Flaminio auſpicia negligente, accepta eſt. *Liv. lib. 21. cap. ult. & lib. 22. cap. 1. c. 5. & c. 9.*

§. 13. Quin omnes præcipuas inſignioresque clades ſuas Romani huic cauſæ religionumque neglectui expenſas tulerunt, uti graviter hoc demonſtrat Cicero *d. loc.* ubi cùm ex antiquisſimâ memoriâ quædam incertæ fidei recitâſſet, ita pergit: *Quod ſi ea ficta credimus licentiâ fabularum, anne domeſticis quidem docti, Numen Deorum comprobabimus? Nihil nos P. Claudii* (de quo jam diximus:) *bello Punico primo temeritas movebit, etiam per jocum Deos irridentis. Qui riſus claſſe devictâ, multas ipſi lacrimas, magnam Populo R. cladem attulit? Quid? Collega ejus Junius eodem bello nonne tempeſtate claſſem amiſit, cùm auſpiciis non paruiſſet. Itaque P. Claudius à populo condemnatus eſt, Junius necem ſibi ipſe concivit. C. Flaminium Cœlius religione neglectâ cecidiſſe apud Thraſimenum ſcribit, cum magno Reip. vulnere. Quorum exitio intelligi poteſt, eorum Imperiis rempublicam amplificatam qui religionibus paruiſſent. Et ſi conferre volumus noſtra cùm externis, cæteris rebus aut pares, aut etiam inferiores reperientur, religione, i. e. cultu Deorum, multò ſuperiores.* Adeò Romani cladium ſuarum cauſas agnoverunt; adeò exempla earum præ oculis habuerunt. Prætereo Julianum Imperatorem, qui, etſi Apoſtata, in bellis tamen gerendis diligentisſimus fuit religionum cultor. *v. Amm. Marcell. L. 23. paſſ.* Sed & expendi meretur, quod in bello Locrenſium & Crotonienſium accidiſſe refert *Juſtinus L. 20. c. 2. & 3.* cùm enim utraque pars

ad

Digitized by Google

ad Deorum oracula confugeret, reſponſum eſt, *Prius votis hoſtes quàm armis vincendos eſſe.*

§. 14. Hæc, aliaque cùm intuemur Gentilium exempla, quàm piè de ſuis, quos putârunt, Diis eorumque providentiâ, maximè in bellis ſenſerint, quàm religioſè eos coluerint, quàm offendere reveriti fuerint; quo zelo Victores Diis publicè gratias ſolennes egerint: tum præterea quàm Summo & vero Deo Rectori Univerſi hæc ipſorum in imaginaria quoq; Numina ſua pietas placuerit, nec ſpectaverit vanitatem eorum quibus cultus præſtitus fuit, ſed animum ac pietatem id quod Numen eſſe crediderunt haud fucatè colentium, quàm eventu ipſo felicibusque bellorum ſuccesſibus id deniq; eis probaverit, ſubit equidem erubeſcere vicem eorum, qui, cùm verum Numen agnoſcunt, tam frigidè ejus in bellis ſuis rationem habent, ut vix bella bellorumque juſtitiam Deo curæ eſſe exiſtiment. Tantum abeſt, ut, niſi per ſe ſtet, juſtisſimo ipſius Judicio jure finitum iri ſeriò confidant.

§. 15. Hinc verò manifeſtum eſt, eum qui bellum movet non habitâ Divini judicii ratione, & qualis Deo tanquam unico bellorum judici ac arbitro debetur reverentiâ ac pietate, meritò ſpreti Numinis ſuæque quaſi irreligioſitatis pœnas luere, eumque tum eſſe juſtum prælii bellive exitum.

SECTIO III.
DE PRÆLIIS EX JUSTA CAUSA SUSCEPTIS, SED CULPA GESTIS.

SUMMARIA.

§. 1. ALterum requiſitum belli juſtè gerendi eſt, ut debita adhibeatur diligentia, quod exponitur & probatur primùm ratione.

§. 2.

§. 2. & 3. Deinde communi gentium conſenſu.

§. 4. 5. 6. Exemplo Perſei & Æmilii; Item Cyzicenorum & Joſuæ.

7. Facto Judæorum, qui errore pietatis à defenſione Sabbatho abſtinentes miſerè afflicti fuère.

§. 8. Romani exercitus judicio.

§. 9. 10. 11. Exemplis contrariis, quibus ducis avaritiâ, vel Numinis irreverentiâ, vel ſuperbiâ, aliâve culpâ juſtæ cauſæ clades illata eſt.

§. 12. 13. 14. Autoritatibus.

§. 15. 16. Ex comparatione Ludovici, ultimi è Carolingis Imperatoris, & Henrici Aucupis, quorum ille Bello Hungarico vitio ſuo victus eſt, hic induſtriâ ac poteſtate egregiè vicit.

§. 17. Concluſio cum exemplo Scipionis & Hannibalis.

§. 1.

ALterum quod requiritur ad imponendum qui cauſæ debetur bello finem, eſt ut pars adhibeat debitam in gerendo diligentiam; alioquin conſtat, per ipſum, non per judicem ſtare, ipſiusq; vitium id eſſe, non judicis injuſtitiam. Enimvero ſummus ille omnium rerum arbiter uti ab unoquoq;, ita inprimis ab iis qui cauſam armorum diſceptationi, atq; adeò tanti momenti judicio committunt, exactas officii ſui rationes requirit, & cùm naturâ primæ ſint jus petentium partes, alteræ deinde judicis, hujus non incipiunt eſſe vices, ſi Partes non expleverint ſuas. Neq; is eſt ſanctisſimus hic Judex, ut vitiis alterius partis præ alterâ faveat aut conniveat.

§. 2. Eſtque hoc præterea & communi gentium ſuffragio & clarisſimis rerum documentis comprobatum: Inprimis præclara eſt Plutarchi cùm ſententia, tum ratio, quâ ita id probat: *Fas non eſt vel eum qui non jaculetur, ſcopum attingere, vel eum qui fugiat, victo-*

victoriâ potiri; Et omnino neq; feliciter agere, qui nihil agit, neq; malus homo felix eſſe. Plut. in P. Æmil. c. 32.

§. 3. Hinc P. Æmilius, Dux belli præclariſſimus, docebat, *etiamſi credendum eſſet, Deos incuriam Ducum negligere & non vindicare, tamen eam pernicioſam fore Reip.* Atque adeò pro certo habet, nec credendum id, & civitati eam exitioſam eſſe, quod proinde exitium quoque à Numinis arbitrio eſt. Hinc laudatur maximè hic Dux, *quod in munere ſuo omnia peritè & ſtudioſè egerit, omnibus aliis negotiis rejectis, & nihil quod ad id munus pertineret omiſerit. Plut. in P. Æmil. c. 4.* Ubi hoc argumentum porrò egregiè perſequitur. & docet, *hunc P. Æmilium, quod diſciplinæ militaris obſervantiſſimus, & officii exactor ſeveriſſimus eſſet, hâc ratione patriæ res firmaſſe, & ejus rei quaſi appendicem victoriam duxiſſe. d. c. 4.*

§. 4. Ejus præluſtre exemplum deinde exhibet in bello, quod hoc Duce Romani cum Perſeo Rege Macedoniæ feliciſſimè geſſerunt; ubi ad vivum quaſi depingitur, quàm averſi ſint Dii ab iis qui deſunt officio ſuo, quàm propenſi in eos, qui ei incumbunt. De Perſeo enim refert, quod deſerto prælio vota Herculi, at P. Æmilius ſtans in acie vota Diis fecerit, quo effectu? En verba Plutarchi; *Perſeus*, ait, *commiſſo prælio, metum non ferens, in urbem equo avectus, ſacram Herculi rem facere ſatagebat, qui tamen Deus meticuloſorum ſacra non recipit, neq; voti illiciti damnat* &c. *ſupr.* §. *Æmilii verò votum Deus probabat, is enim haſtam tenens robur in bello & victoriam flagitabat, pugnansq; Dei auxilium poſcebat. Plut. d. l. c. 32.* ubi & Polybium, inſignem & P. Æmilio propè coævum hiſtoricum, id referentem adducit, & tum eventum recenſet; ut ſcil. Perſeus victus, captus, Romam ad triumphum ductus, & Macedonia, omnium Gentium victrix, Romana provincia facta fuerit.

Digitized by Google

§. 5. Cyziceni, cùm Mithridate eos oppugnante, undiq; caſtris cincti, ad ſummum periculi perveniſſent, jamque ab omni prope ſpe dejecti eſſent, nihil tamen reliqui fecerunt quo ſe conſervarent, atq; in fide Romanorum perſiſterent. Hanc Cyzicenorum fortitudinem Dii admirati, bonis animos eorum ſignis confirmarunt, ut inquit *Plut. in Lucull. c. 20.* ubi & ſigna illa & quàm mirificè à Lucullo liberati ſint, recenſet.

§ 6. Atque ita, cùm fortisſimus Iſraelitarum Ductor Joſua, urbem Ai, ejusque regem & terram armis adoriretur, etſi Deus ſecurum eum de victoriâ fecerat, eamque certam fore prædixerat: *Ecce*, inquiens, *tradidi in manum tuam Regem Ai, & populum, urbemq; & terram ejus: Facies urbi Ai & regi ejus, ut feciſti Jericho &c.* non tamen ideo quicquam remiſit induſtriæ conſilii; ſed cum toto exercitu urbem aggreſſus, fortisſimos militum inde ſelectos in inſidiis collocavit, quid ipſis faciendum eſſet accuratè edixit, ipſe verò cum Principibus in fronte, pugnatorum auxilio ſeptus ac munitus ſtetit, atque ita propè ſine ſuorum ſanguine urbem regemque per prædictas inſidias cepit. *Joſ. 8. v. 2. & ſeqq.*

§. 7. E contrario, cùm Judæi temporibus Maccabæorum perverſâ ſuperſtitione decepti, adverſus hoſtem invadentem Sabbatho ſe non defenderent, ſed Dei curâ tutos ſe crederent, miſerè afflicti cæſique ſunt; ipſoque hoſtium ſucceſſu ſuisque periculis edocti intellexerunt, pium quoque & ſanctum opus eſſe, ſe, patriam, fidem ac jus armis adverſus Tyrannos manifeſtos & invaſores tueri, & ſævitiam hoſtium vi propulſare. *Marc. L. I. c. 2. v. 32. & ſeqq. Joſeph. Antiquit. Jud. L. XII. c. 8.* Qui & refert, Agatarchidem Cnidium Hiſtoricum deriſiſſe Judæos, quod hâc ſuperſtitionis

nis vecordiâ capti, gravem dominum, Ptolomæum Lagi cervicibus receperint. *d. L. 12. c. 1.* Quod ſi igitur pietatis opinio, ejusque colendæ animus ac ſtudium nihil in bellis patrocinatur juſtæ cauſæ, ſi ei, ſuoque officio pars ipſa, tutam te religione exiſtimans, deeſt, quis ſperet, eam ſolâ juſtitiæ fiduciâ per ignaviam & virtutis induſtriæque bellicæ neglectum defendi poſſe?

§. 8. Hinc cùm Cajus Sulpicius Dictator bellum cum Gallis gerens animadverteret, hoſtem nullo commeatu, in loco alieno, nullo ferè præſidio, diu morari non poſſe, & cùm vis hoſtium omnis in impetu eſſet, illum morâ lenteſcere ſciret, non è re credidit cauſam fortunæ committere, ſed bellum adhuc trahere; gravique adeò pœnâ edixit, ne quis injuſſu in hoſtem pugnaret. Milites verò ignari hujus conſilii, quaſi Dictator ſolâ Deûm fiduciâ nihil agendo ſuperari poſſe hoſtem crederet, militari indignatione ipſum eludere cœpere: *Electum eſſe eximium Imperatorem, unicum Ducem qui nihil agenti ſibi de cœlo devolaturam in ſinum victoriam cenſeat. Liv. L. VII. c.* 12. Hæc totius exercitus fuit ſententia, in ſe veriſſima, etſi de virtute & conſilio Dictatoris falſa.

§. 9. Unde tot caſus & exempla, quibus ignavia vel imperitia Ducum, vel alia culpa, præſertim diſſolutio diſciplinæ militaris & militum vitia obfuêre quàm maximè bonæ cauſæ & Reip. Ita ingens Reip. Romanæ vulnus inflictum fuit culpâ & avaritiâ Craſſi, cùm trans Euphratem duceret, quod *Juſtinus L. 36. c. 4.* luculenter exponit: *Craſſus,* inquiens, *intentior Attalicæ prædæ quàm bello, cùm extremo anni tempore, inordinata acie prælium conſeruiſſet, victus pœnas inconſultæ avaritiæ ſanguine dedit.*

Digitized by Google

§. 10. Atque hâc ratione connixi legati Romani, T. Manlio, qui feliciter bellum in Gallo-Græcos, ſed injuſſu populi finierat, & ideo Diis honores publicè haberi & ſibi triumphum petebat, regerunt; *Diis immortalibus ideo honorem habendum, quod pro temeritate Imperatoris, nullo jure Gentium bellum inferentis, pœnas luere exercitum noluerunt. Livius L. 38. c. 45.* Idem P. R. ſenſit altero Conſulum cæſo, altero ſaucio, ex prælio: *Deos immortales miſeritos nominis Romani, peperciſſe innoxiis exercitibus, & Conſulum temeritatē ipſorum capitibus damnaſſe. Liv. l. 27. c. 33.*

§. 11. De Mithridate refert *Plut. in Lucull. cap. 14.* quòd aggreſſurus *Romanos, cùm initio ſuperbiam oſtendere vellet copiis aſpectu ſolum ſplendidis, turpiter victus fuerit; deinde verò adverſa fortuna caſtigatus, copiis commodo rebus gerendis apparatu inſtructis, res præclaras geſſerit adverſus Romanos.*

§. 12. In hanc rem conſentit Prudentum autoritas, eoque pertinet quo apud Tacitum *Hiſt. L. IV. c. 17.* Batavi animos firmabant; *Deos fortioribus adeſſe.* Et apud Virgil. *L. 10. Æneid.* Turnus milites: *Audentes fortuna juvat*: Et quòd vulgo dicebant: *Nihil Deos mortalibus vendere ſine labore.* Hoc intelligens inprimis Portius Cato, etſi in rebelles Hiſpanos pugnabat, nec adeò de cauſæ juſtitiâ dubitari poſſet, tamen *& omne tempus vacuum exercendis militibus conſumſit: Liv. L. 34. c. 9.* et ipſe in acie uno die *tria maximè laudabilia feciſſe* dicitur, quibus inſignem victoriam obtinuit & Hiſpaniam pacavit. *d. L. 34. c. 16.*

§. 13. Atque hæc res adeò plana eſt, ut Cicero, etſi conſideratis cauſis Pompejum ſecutus fuerit, tamen ex comparatione virtutis & induſtriæ partium alium belli exitum prævideret atque prædixerit, uti ipſe id ad Torquatum ita perſcripſit: *Præſertim*, ait, *cùm,*

tum, ſi mihi alterutrum de eventu atq; exitu rerum promittendum eſſet, id futurum quod evenit exploratiùs poſſem promittere: NB. iis enim rebus præſtabamus, quæ non prodeunt in aciem, (cauſæ juſtitiam intelligit) *uſu autem armorum & militum robore inferiores eramus. Cicero ad Famil. L. 6. ep. 1.* Et egregiè Annibal *ap. Liv. l. 21. c. 44. in f.*

§. 14. Ita his duabus rebus conjunctis ſtetiſſe & creviſſe Remp. Romanam, quòd bella juſta ac pia, & omni induſtriâ geſſerint, ipſi fatentur Romani. Saluſtius, ubi veteris illius & victricis Reip. virtutes recenſuiſſet, more ſuo breviter & apte utramque hanc cauſam conjungens, *Labore*, inquit, *atque juſtitia Reſpubl. crevit. de Bell. Catil. c. 8. 9. 10.* Cui geminum eſt illud Ennii:

Moribus antiquis ſtat res Romana viriſq;.

§. 15. Hujus rei veritatem expertum eſt & olim & nuper Imperium. Illuſtre exemplum eſt in bello Hungarico ſub Ludovico ultimo ex Carolingis Imperatore, cùm Hungari, quorum nullum in Germaniam Italiamque jus fuit, eo jam anguſtiarum redacti eſſent, ut pacem ultro peterent, maximo tamen prælio Chriſtianos devicerunt, horum vitio; quippe qui inter ſe invidiâ, ambitione & ſtudiis disſidentes, cum in ipsâ acie communique periculo fidem invicem non præſtarent, ſed alii aliorum cædibus quoque tacitè gauderent, ſerò ſenſerunt parte cæsâ omnes debilitari ac vinci; omnesque victi univerſam prope Germaniam ac Italiam hoſti in prædam relinquere, ut pluribus refert *Luitprand. L. 2. c. 6.*

§. 16. At econtrario, cùm poſt aliquot annos ſub Henrico Aucupe denuo Hungari invaderent Germaniã, hic Imperator etſi corpore æger, at animo nihil commotus, collectis copiis Deo rem committit, eique vota nuncu-

nuncupat, tum milites &;accendit oratione, & pugnandi unà modum docet. Ita rebus ritè curatis Hungaros prælio ad ortus ad internecionem proſtravit. *Idem Luitprand. d. L. 2. c. 8.*

§. 17. Tot monumentis conſtat (& ſunt innumera alia) non poſſe partem belligerantem confidere juſtitiâ cauſæ, niſi & ſuas partes in bello gerendo impleat, & juſtum eſſe prælii eventum, ſi ſuo vitio victa ſuæ ignaviæ & culpæ pœnas luat. Non igitur aliàs ſpectata magis fuit juſtitia cauſæ Romanæ contra Pœnos, quàm cùm duo fortisſimi Duces, Annibal & Scipio, acie congresſi, ita de eâ dimicârunt, ut à neutro aliquid neglectum omiſſumque fuerit: Nam ut Florus *L. 2. c. 6. in f.* ait, *utriusq; ducis confesſione conſtabat, nec melius inſtrui aciem, nec acriùs potuiſſe pugnari. Hoc Scipio de Annibalis, Annibal de Scipionis exercitu prædicaverunt.*

SECTIO IV.
DE PRÆLIIS EX JUSTA CAUSA, SED TEMERE SUSCEPTIS.

SUMMARIA.

§. 1. 2. Alia cauſa eſt belli ſuſcepti eſt temeritas: An Princeps tenuis vel non ſatis inſtructus potentisſimum hoſtem armis adoriri posſit?

§. 3. Deus non ἀμέσως ſed per cauſas medias agit.

§. 4. Nec miraculum ab ipſo eſt expectandum: quod impium.

§. 5. Inexcuſabilis eſt Princeps qui bellum temerè orditur.

§. 6. Antequam bellum ſuſcipitur, primò videndum an jure id geri posſit? Tum deinde an expediat?

§. 7. Si

§. 7. Si non expedit, ratio tuendi juris Principi ſupereſt tranſactio.

§. 8. Huc pertinet Chriſti parabola Lucæ 14.

§. 9. 10. 11. Si Princeps adverſarius nullas, vel non æquas conditiones admittere velit, an & quodnam imbecilliori aſſerendi Juris ſui adhuc remedium competat declaratur.

§. 12. An contra aggreſſorem talem præſidium à Dei providentia expectandum.

§. 13. Illuſtratur hoc exemplo Conſtantini Ducæ Græcorum Imperatoris.

§. I.

HOc caput ſuperioris conſequens eſt, cùm nihil ſit quod magis ad culpam referri, & in bellis reprehendi poſſit, quàm temeritas; ut adeò paucis defungi hîc liceat. Id enim ſaltem hîc excutiendum adhuc videtur, ſi cui juſta plane belli cauſa, nihilque ipſe neglectu religionum vel aſpernatione Divini armorum judicii, vel culpâ vitioque ſuo fortè in bello commiſſurus ſit; verùm præpotens hoſtis, ipſe verò à viribus & opibus ita deſtitutus ſit, ut appareat ſe parem non eſſe armis vincendo hoſti, an nihilominus confidere armorum juri eorum eventui poſſit?

§. 2. Id equidem minimè videtur. Neque enim quisquam minus à temeritatis culpâ immunis eſt, quàm qui non ſatis paratus & inſtructus hoſtem multò potentiorem laceſſit & armis adoritur: quod perinde eſt acſi homo claudus cum ſano & veloce contendere curſu velit.

§. 3. Eſtque is ordo Naturæ, ut ſummus rerum Arbiter res univerſi non *αὐτὸς*, ſed per cauſas medias, & res humanas hominum operâ gerat, qui proinde moliri non debent quod ſupra vires ſuas eſt. Quod & Eccleſiaſticus docet *cap. 3. Quæ altiora te ſunt, ne quæ-*

rito

rito. Et mox: *Qui periculum ambit, peribit in illo.* Cui ferè geminum eſt illud Senecæ,

Quem ſæpe tranſit caſus, aliquando invenit.

§. 4. Sanè ſi per Naturam fieri nequit, ut alter per virium defectum alteri præpotenti reſiſtat, non poteſt ille victoriam expectare niſi à miraculo, quod ut vanum, ita impium eſt, & hoc facto tentari divinum Numen dicitur, quo nihil profanius, nihilque ſeverius in ſacris interdictum eſt, quàm ne homines Deum tentent.

§. 5. Inprimis verò in contentionibus populorum ac Principum, cùm natura alium modum aſſerendi juris ab altero, qui Judicem non habet & jus alterius ipſo invito vi detinet, non explicuerit aut prodiderit, quàm vim armorum, quâ ſolâ propulſari vis adverſa poteſt, conſtat non poſſe eum excuſari qui hâc parte non valet, ſed illo remedio quod unicum Natura prodidit, deſtitutus, bellum tamen orditur, atque adeò Remp. in præſentiſſimum diſcrimen conjicit.

§. 6. Hinc ſemper & in omni conſilio de bello movendo, duæ propoſitæ ſunt quæſtiones: *Altera* an jure id geri posſit? quæ ex jure Gentium decidenda eſt: & ſi appareat juſtam cauſam non eſſe vel non apparere, fruſtra eſt reliqua de bello deliberatio. Si verò de juſtâ belli causâ conſtet, tum verò *altera* quæſtio & deliberatio ſequitur, quæ non tam juris, quàm Politicæ prudentiæ eſt; Utrum is ſit Reipublicæ ſtatus ut belli molem ſuſtinere posſit, an verò talis, ut magis expediat jure ſuo non uti, vel nondum uti, & in ſuſpenſo potiùs rem relinquere, quàm tantum mali & periculi in Rempubl. inferre. *Ariſt. Rhetor. c. 33. ad Alex. M.*

§. 7. Quæ verò tum tuendi juris ratio Principi ſupereſt, ad cujus officium pertinet jura Principatus ſui

ſui defendere? Facilè apparet laborandum in id eſſe, ut quàm fieri poſſit æquiſſimis conditionibus de cauſâ tranſigatur, præſertim ſi jus non ſatis liquidum ſit, ſed pars adverſa quoque juris ſpecie haud prorſus improbabili nitatur; ut plerumque ſolet utraque pars bellorum cauſas allegare, & de jure ſuo fulciendo laborare. Hoc ergo caſu pace tranſigitur.

§. 8. Atque hæc omnia hactenus præclarâ parabolæ doctrinâ complexus eſt Sanctiſſimus Servator, cùm *Luc.14.v.31.* rogat, *Quis regum foret, qui cùm bellum in alium regem parare geſtit, non anteſedeat & ſuas ac hoſtium vires conferat, atque expendat, an, cùm ipſe tantùm decem millia militum habeat, hâc manu aggredi & vincere poſſit hoſtem, qui viginti millibus ſtipatus eoque duplo potentior eſt.* Et tum ipſe Servator quoque addit *v.32.* conſilium quod diximus: *Si verò vires illæ non videntur ſufficere compellendo ac ſubigendo hoſti, mittit ad eum Legatos, & pacis conditiones offert*; atque ita cum ipſo tranſigit.

§. 9. Verùm quid ſi Princeps adverſarius nullas conditiones admittat, vel non æquas? Quid ſi quos de jure conſulit, perſuaſionibus decipiunt, aut rerum jurisque inprimis gentium imperiti, vel ſtudio cauſæ occœcati, ipſi decipiuntur. Sæpe gratiâ vel præmiis venale conſilium, venalemque juſtitiam habent, & aſſentandi magis libidine, quàm juris curâ ducuntur. Sæpè denique tota deliberatio utilitatis & prædæ, non juſtitiæ rationibus concluditur. Quo caſu an imbecilliori parti ulla aſſerendi juris ſua facultas relicta ſit, in ambiguo videtur.

§.10. Equidem vix unquam adeò deſperata res videbitur, quin aliæ emergendi eluctandiq; viæ pateant, & vel à conſilio, vel à tempore remedium juſtæ cauſæ expectari poſſit. A *Conſilio* variè: etſi enim quis propriis viribus

 ribus

ribus & opibus par hoſti non ſit, innumeris tamen rerum experimentis conſtat, quantum firmari fulcirique vires poſſint fœderibus, amicitiis ac ſocietatibus. Quæ eò faciliùs parti infirmiori comparari poſſe credendum eſt, ſi & ſuæ cauſæ æquitas, & hoſtis ſuperbia aut injuria manifeſtari oſtendique liquidò poſſit. Etenim, ſi appareat, hoſtem noſtrum nullam juſtitiæ, quâ ſolâ ſubſiſtit hominum inter ſe ſocietas, rationem curamque habere, ab eo omnibus perinde metuendum erit, omniumque quaſi communis hoſtis, & injuria ad nos, exemplum injuriæ ad omnes pertinere, adeoque commune quaſi periculum communi ope reſtinguendum videbitur: Eadẽ enim cupiditas quæ hoſtem in nos, etiam in reliquos, auctis inprimis victoriâ viribus & animis, concitabit. Quod quotidiana propè experientia publicè teſtatur, & hac ipsâ viâ Dionyſius à Pœnis ad incitas redactus, emerſit & vicit. ap. *Diod.Sic.lib 14.cap.13.*

§. 11. Quod ſi verò ille rerum ſtatus ſit, ut in præſens fortè non adeò id expeditu facilè videatur, alterum tamen ſemper à *tempore* remedium reliquum eſt. Nec enim deſore tempora reparando juri puniendoque hoſti fidendum & nec in dubio ponendum exiſtimamus, modò reliqua, quæ ferè jam expoſita ſunt, non impediant. Ita, cùm Domus Bragantina à jure Succesſionis in Portugalliam, quod liquidum videbatur, immensâ Hiſpanorum potentiâ, & operâ Albini illius Buſiridis pulſa, nec ullæ tum ferè opes & vindicandi juris vires ei eſſent, temporum rationem habuit, quæ cùm ſe Dei providentiâ, offerrent, felicisſimè regnum recuperavit.

§. 12. Atque hæc hactenus quæſita ſunt de Parte, quæ jus ſuum armis vindicare nititur. Enimvero ſi quem hoſtis bello armisque actu aggreditur, atque ad neceſ-

neceſſitatem defenſionis compellit, fruſtra quæritur quid huic agendum ſit, in cujus poteſtate res non eſt. Quod ſi igitur manifeſta ſit invaſionis injuria & reſiſtendi impotentia, nec pacem invaſor admittere velit, nullum equidem aliud quàm in ſummi Numinis providentiâ præſidium relictum eſt; adeoque nec fas tum eſt de eo dubitare, niſi populus injuriis aut aliis ſceleribus meruit, ut Deus juſtus injuriarum vindex, in pœnam hoſtem conciverit, atque in eum armaverit; quod *Sect. ſeq.* plenius exequemur.

§. 13. De Conſtantino Duca, Græcorum Imperatore, traditur, fuiſſe virum cœtera piisſimum, ſed pecuniæ avarum. Ille igitur bello ingruente eam rationem inibat, ut diſpiceret, utrum plus *impenſarum faciendum eſſet in bellum, quam quibus pax redimi poſſet*, atq; ita non id præcipuè egit, ut militiæ robore regnum muniret, ſed ut oblatâ pecuniâ hoſtem & bellum ſummoveret. Quod cùm animadverterent hoſtes & Barbari, certatim invaſerunt regnum, nec oblatam pecuniam receperunt. Quare cùm ad extremum diſcriminis & anguſtiarum perveniſſet Imperator, tentavit contrahere copias, ſed præcipuè confugit ad ſacra & ſupplicationes, ut ſummi Dei potentiâ ab impiis hoſtibus liberaretur. In quo dum totus eſſet, nunciatum ipſi dicitur, barbaros ſeditionibus mutuisque diſcordiis, quin & peſte disſipatos fuiſſe. *Cuſpin. de Imper. in Conſtant. Ducâ. fol. 450.* Verùm nobis nunc de bellis quæ voluntate ſuſcipiuntur & geruntur quæſtio eſt.

SECTIO V.

DE PRÆLIIS EX JUSTA CAUSA INITIS, SED POENALIBUS.

SUMMARIA.

§. 1. BEllorum alius uſus eſt, quòd Deus impietates ac delicta populorum punire bellis ſoleat, & jure poſſit.

§. 2. Probatur id exemplo Davidis, cui cùm juſſu Dei Propheta optionem daret trium pœnarum, inter eas bellum fuit.

§. 3. In hujusmodi bellis invaſor non ſuam ſed Dei cauſam exequitur, nec de jure partium quæritur ſed Divini Numinis.

§. 4. 5. Talia bella fuerunt Iſraelitarum in Palæſtinos, & contrà, Aſſyriorum in Iſraelitas.

§. 6. Ita Salomoni in pœnam idololatriæ hoſtem excitâſſe Deus dicitur.

§. 7. Pertinent huc innumeræ illæ barbarorum invaſiones in Italiam & utrumq; Imperium Orientis & Occidentis.

§. 8. 9. Occidentis flagellum Attila, Orientis Tamerlanes dictus fuit.

§. 10. In hiſce bellis quod ipſi invaſores ex ſuo conſilio agunt, injuria eſt: quod verò Deus eorum miniſterio agit, juſtiſſimum. Unde invaſores non evitabunt ſcelerum atq; invaſionum ſuarum Deo vindice ultionem, quod ex prædictis exemplis patet.

§. 11. Alexander M. à Scytharum legatis omnium Gentium latro dictus eſt, quo ſenſu?

§. 12. 13. Invaſiones, flagitia atq; injurias è veſtigio divinam ſequi ultionem exemplis Demetrii & aliorum, item Tatii Sabinorum Regis exponitur.

§. 14. Iſraelitæ, quamvis ipſo Dei juſſu bellum gererent, in pœnam tamen ſacrilegii Acanis pulſi ac ſuperati ſunt à Rege Ai.

§. 15. Eandem Divini Numinis vindictam ob necem Johannis Baptiſtæ expertum fuiſſe Herodem agnoverunt Judæi.

§. 16. Item ob fœdera violata Philippus Valeſius cladibus punitus.

§. 17. Et ob perjurium Uladislaq famoſiſſima illa clade Varnenſi.

§. 18. 19. Remedium cavendi hos

hos belli effectus expiatione placando Numen. Hinc illa gentium Conſuetudo expiandi ante prælium populi & placandorum Deorum.	*§. 20. 21. Idemq; in ipſo Dei populo obtinuit: Nullibi ferè magis quàm hodie inter Chriſtianos id neglectum.*

§. I.

ET hactenus igitur de illo bellorum uſu, quòd iis populorum ſummorumque Principum, qui Judicem inter homines non habent, lites & cauſæ Deo ipſo arbitro ac Judice exactisſimâ juſtitiâ finiuntur. Eſt verò & alter eorum uſus ſummo Numini, quòd iis delicta & impietates populorum puniat. Nam & hæc duo humanorum judiciorum genera ſunt: alia civilia, quibus intér partes jus reparatur; alia, quæ criminalia dici ſolent, quibus pœnæ publicæ in delinquentes ſtatuuntur.

§. 2. Neque id in dubitationem cadere poteſt: Cùm enim nihil magis ſummi Rerum omnium arbitri divinæque juſtitiæ ſit, quàm impietates & delicta corrigi ac puniri, atque hæc indubitata ſit poteſtas Omnipotentis Creatoris in homines, eam ille exequitur, vel immediatè, immisſis cœlo calamitatibus; vel mediatè per homines, excitato hoſte ac bello. Atq; hæc duo cœleſtium pœnarum genera accuratisſimè congruunt eis pœnis, quas Gad Propheta juſſu Dei Davidi propoſuit earumq; ei optionem dedit: nam duplicis generis erant; vel trimeſtria bella & ab hoſtibus clades, vel calamitates cœlo miſſæ; quarum duæ offeruntur, ſcilicet ſeptennis fames ſeu ſterilitas, aut tridui peſtis. *Samuel. 2. c. 24.* De priore modo puniendi, bellis ſcilicet, hîc agimus.

§. 3. Hujusmodi bellis igitur non cauſa inter ho-

mines deciditur, ſed quædam divinæ vindictæ executio in impios populos decernitur; neq; adeò in iis diſpiciendum, quid juris partes in invicem aſſerant, cùm illa non partium ſed Summi Numinis cauſa ſit; ita ut, licèt invaſor nullum jus habeat, tamen jus belli & victoriæ obtineat in victum, in quem non ſuam, ſed Dei cauſam, etſi ſæpè inſcius, exequitur in eos qui cœleſtem vindictam flagitiis meruerunt, eoque jure victi ſunt: unde ſpecialiter hæc *Domini bella* in ſacris dicuntur.

§. 4. Tale fuit Sacroſanctum illud bellum, quod Hebræis in Palæſtinos ſeu Populos Terræ Canaan injunctum à Deo expreſſè fuit. Etenim certum eſt, hos populos jure terras ſuas quas vacuas ex primævâ terrarum diviſione optimo jure acquiſiverant, tenuiſſe. Certum quoq; eſt, Hebræos neq; jus aliquod in has terras habuiſſe, neq; injuriam ab iis populis accepiſſe, adeoq; ſuo jure eos armis invadere terrisq; ſuis exuere non potuiſſe. Verùm hæ gentes propter immania contra Jus Naturæ commiſſa flagitia, Dei ſententià ad exciſionem exſtirpationemq; damnatæ, ejusq; rei executio Hebræis injuncta, atq; in eum eventum terræ iſtæ ipſis donatæ fuerant. Atq; hoc ipſis Jus armorum erat; prout hæc cauſa *Lev. 18. v. 27. & ſeqq.* & aliis innumeris locis inculcatur. Unde & ipſa terra conſecrata, & pleraq; præda Deo devota, atq; adeò ſacrilegii ſummæq; impietatis loco fuit, ſi vel prædæ aliquid ſubtractum, vel victores quoq; victis & à Deo damnatis pepercerint. Uti exempla *Joſ. 7. 1. Sam. 15.* & aliis paſſim locis teſtantur. Atq; hinc hæc bella à reliquis Hebræorum bellis diſcernuntur, aliudq; iis jus, & inprimis ut nemini parcerent, quàm reliquis bellis, quæ jure Gentium, ut aliàs, regebantur, ſtatutum fuit: quæ ſatis nota ac obvia ſunt.

§. 5. Talia viciſſim bella fuére, quibus Aſſyriorum & Babyloniorum Reges, Iſraelitarum & Judæorum populos ac terras invaſerunt & exciderunt: Cùm enim nec malis, nec Prophetarum monitis, nec tot comminationibus adduci poſſent, ut ab impietate, idololatriâ, aliisq; ſceleribus deſiſterent, tandem Summum Numen, victâ impietatibus clementiâ, ſeveriſſimis pœnis minas per prædictos Reges executus, ſcelerumq; pertinaciam ultus eſt, uti Libri Regum & Chronicorum docent.

§. 6. Pariter cùm Salomonis idololatriam Deus punire vellet, hoſtem ei excitâſſe dicitur. *1. Reg. 11. v. 14. & 23.* Quod idem & aliis utriusque populi Iſraelitici Regibus, qui à cultu Dei & religione defecerant, accidiſſe pluribus locis refertur.

§. 7. Eodem jure cenſendæ & horrendæ illæ innumerabilium gentium barbararum invaſiones in Italiam & Imperium primùm Occidentis, deinde Orientis; Imperio à priſtinâ virtute, Eccleſiâ à puritate & ſimplicitate ſuâ immenſum deficiente, & adeò corruptis temporum moribus, ut irritata tandem & accenſa divina vindicta effuderit omnem propè in Imperium barbariem, gentesque immaniſſimas, quæ per aliquot ſecula utrumque armis devictum miſerrimè vaſtârunt.

§. 8. In iis maximè emicuit furor Attilæ & Hunnicæ gentis, a Scythis ſeu Tartaris ortæ, & à portis Caſpiis profectæ, quæ ita in omnes propè Imperii & orbis Chriſtiani terras ſæviit, ut vix homines eſſe viderentur. Nec creditum tantùm vulgò fuit, hunc Attilam *flagellum Dei* fuiſſe, ſed & ita vocatus fuit, quin ipſe jactâſſe dicitur ſe *flagellum Dei & ad id in mundum à Deo miſſum, ut tanquam juſtæ illius iræ vindex terras*

ras omni malorum genere permiſceret. Sigon. de Imp. Occid. L. 13. ad ann. 452.

§. 9. Idem ferè de magno illo Tamerlane dicitur, qui rogatus à familiari ſuo, cur tantam exerceret crudelitatem? reſpondiſſe fertur. *Ira Dei ſum & vaſtitas orbis. Joh. Naucler. Vol. 11. Gener. 47. f. 1036. Paul. Jov. Hiſt. lib. XVII. p. 966.* Atq; hinc, uti Attilas Occidentis, ita Tamerlanes Orientis flagellum fuiſſe creditum eſt. *Paul. Jov. d. l.*

§. 10. Cæterum in hujusmodi invaſoribus diſtinguenda eſt cauſa ex quâ ipſi bellum ſuo nomine gerunt, & illa, quâ Rector Univerſi his tanquam inſtrumentis utitur ad puniendum ob improbitatem populum. Quod ipſi invaſores ex ſuo conſilio agunt, injuria & pesſima invaſio eſt; ſed quod Deus eorum miniſterio agit, juſtisſimum. Non igitur ex hoc bello injuriam populus victus patitur à Deo cujus pœnam vindictamque impietate meruit, & hâc ratione jure victus eſt; ſed invaſor injuriâ agit. Unde nec evitabit ipſe quoque, Deo vindice, ſcelerum invaſionumque vindictam: Uti Divinus ille vates cecinit: *Væ tibi, prædo, putasne Te rurſum exciſum iri? Cùm conſummâſti deprædationem, & Tu viciſſim præda eris. Eſaiæ 33. v. 1.* Idq; ex omnibus prædictis exemplis patet: omnes enim illi populi invaſionis ſuæ pœnas luerunt, & qui Italiam invaſerunt, iterum victi, profligati ac vaſtati fuerunt, usq; ad Carolum M. qui pio conſilio Italiæ tutelâ ſuſceptâ jure Imperium obtinuit.

§. 11. Igitur cùm Alexander M orbem terrarum bellis ac cladibus infeſtaret, certum eſt, eum jus in Terrarum orbem non habuiſſe nec univerſalis hujus belli juſtam cauſam. Neq; verò alium ipſe titulum quàm gloriæ aviditatem in ultimos terræ Indiarumque fines, & remo-

remotiſſimam Scytharum gentem jactavit. Unde hactenus rectè ab horum legatis *omnium gentium latro* dictus eſt. *Curt. L.VII. cap.8.* Verùm hujusmodi invaſores non forte & caſu exiſtunt & vincunt, ſed horum potentiâ & cupiditate utitur ſummus Univerſi Regnator ad vindicandas hominum impietates & flagitia.

§. 12. Idq; tam manifeſtè, ut id planè agnoverint Gentiles. Inprimis verò id apparuit in Alexandi M. ſucceſſoribus; Etenim cùm Demetrius ob ſuperbiam & crudelitatem intolerabilem ab Alexandro quodam falſario victus eſſet, inde per parricidiales diſcordias clades cladem ſecuta, victorq; mox iterum victus eſt, ut prorſus appareret, invaſiones & parricidia è veſtigio ferè divinam ultionem ſecutam, & mutuis cladibus ac cædibus parentatum occiſorum manibus fuiſſe: quæ pluribus recenſet *Juſtinus L. 39. per tot.*

§. 13. Idem agnitum eſt in Tatio Sabinorum Rege, cujus cognati cùm Legatos Laurentium violâſſent, & ideo Laurentes jure Gentium agerent, Rex ſuorum gratiâ ductus id neglexit. Hinc illorum pœnam in ſe vertiſſe, & Lavinii concurſu facto interfectum fuiſſe tradit *Liv. L. 1. c. 14.* Sed & horrenda paſſim exempla ſunt bellorum, quibus puniti ſunt ob ſcelera populi, omnibus id publicè agnoſcentibus, uti Phocenſes ap. *Juſtin. lib. 8. c. 2.* Carthaginenſes, ap. *Diod. Sic. lib. 14. c. 9. & ſqq.* aliiq; plurimi.

14. Expendi verò maximè meretur, quod *Joſua 7.* refertur: Totus enim Iſraelitarum exercitus, etſi ipſo Dei juſſu bellum gererent, victus ac pulſus dicitur à Rege Ai, in pœnam ſacrilegii Acanis qui aliquid ex prædâ hoſtili Deo devotâ ſurripuerat. Cùm igitur populus cauſam cladis ſuæ neſciret, Deumq; adeò Dux Joſua rogaret, reſponſum accepit: *Peccavit Iſrael & prævaricatus eſt pactum meum, tuleruntq; de anathemate & furati ſunt & mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua. d. cap. 7. v. 12.*

 Tum

Digitized by Google

Tum juſſus eſt Joſua ſanctificare populum, & ei dicere: *Anathema eſt in medio tui Iſrael, non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus eſt ſcelere. d.c.7.*

§. 15. Cùm Herodes Tetrarcha bello de finibus agri Gamalitici cum Aretâ Arabe contenderet, prælioque exercitus ipſius victus ac intercecione deletus eſſet, *Exiſtimatum apud Judæos fuit, eam cladem ipſi accidiſſe juſtâ Numinis ultione, ideo quòd Johannem Baptiſtam, qui Judæos ad virtutum, & inprimis ad pietatis & juſtitiæ ſtudia excitaverat, occidiſſet;* prout refert *Joſeph. Antiquit. L.18.c.7.*

§.16. Sed & annotatum eſt graviſſimis Autoribus, Philippum Valeſium, cùm ingenio vafro & ad fallendum compoſito eſſet, nullamq; fidei datæ, quin & juratæ rationem haberet, inprimis autem hâc ſpecie Ludovico Bavaro Imperatori illuſiſſet, maximis cladibus, nec ipſum tantùm, ſed & filium Joannem, qui bello captus fuit, & nepotem multatos in bello cum Anglis geſto fuiſſe. *Peucer. in Chron. Carion. lib. V. p. 911.* adeò ut Angli eo fidentiùs ad pugnam Gallos provocaverint, *quòd ſcirent cum eo hoſte ſibi rem eſſe, quem credebant ob violatum fœdus à Deo punitum iri,* ut inquit *Polydor. Vergil. Hiſt. Anglic. L. 17. f. 325.* Neq; id eos fefellit.

§. 17. Hæret, hærebitq; in memoriâ Orbis Terrarum clades illa Varnenſis, quâ Uladislaus Rex Hungariæ prælio cum Turcarum Amurathe geſto in perfidiæ pœnam periit, & res Chriſtiana miſerrimis modis afflicta fuit. Cùm enim jam vinceret fortiſſimus Dux Hunniades, qui prælio intererat, Amurathes autem advocato contra perfidos Numine denuò inveheretur, verſa fortuna & fugati Chriſtiani, magnaq; eorum ſtrages edita fertur. Quæ cauſa ipſi Regis tumulo his verſibus inſcripta fuit; apud *Joſeph. Nadan. in Floro Hung. c. 10.*

Romulidæ Cannas, ego Varnam clade notavi,
Diſcite mortales non temerare fidem.

Me

Digitized by Google

Me niſi Pontifices juſſiſſent rumpere fœdus,
Non ferrent Scythicum Pannonis ora jugum.

§.18 Sed non aliunde præclariùs hoc apparet, quàm ex eo, quòd gentes adverſus hanc cauſam remedium invenerunt, ſcilicet ut ante prælium expiarent populum, Deosq; placarent & Reipublicæ conciliarent. Quem in finem apud Romanos inventi ſunt ritus expiationum per ſupplicationes, lectiſternia, majores hoſtias & ſimiles Deorum cultus, quibus hoc agebatur, ut Deos offenſos ante reconciliarent populo quàm prælium committerent. Quod factum, cùm Annibale Italiam ingreſſo, Romani iram Deorum ex eo, quòd Conſul Flaminius ad bellum ſine auſpiciis Deorum profectus eſſet, & ex prodigiis plurimis colligerent *Liv. L.22. c. 1. 2.* Hoc *more Majorum* apud Romanos fieri ſolitum inquit *Liv. lib.30. cap.38.* & innumeris exemplis paſſim oſtendit, quæ, ut compendium faciamus, videri poſſunt *ap. Liv. lib. 21. cap.62. lib.22. cap.9. lib.24. cap.10. lib.27. cap.23. lib.28. cap.11. lib. 29. cap. 24. &c.* Quæ cùm Flaminius conſul contemneret, notiſſimâ illâ ad Thraſimenum clade cæſus eſt. *Liv. d. L. 22. c. 5. 6.*

§ 19 Quam expiandi neceſſitatem ſenſit quoq; Dux Samnitium Pontius, quem *Sect. 1.* allegavimus, adeò ut ſatisfactione re ipſâ oblatâ, eoq; reparatâ injuriâ, demum confiſus fuerit prælio. Ita enim eo facto gloriatur: *Expiatum eſt, quicquid ex fœdere rupto irarum in nos cœleſtium fuit. Liv. L. 9. c. 1.* Adeò homo gentilis & barbarus & Dux populi bello crudeliſſimi, uti Samnites fuêre, agnovit, ex injuriis iram Deorum, & ex hâc clades metuendas, & ideo inprimis eos placandos eſſe.

§.20. Quod inprimis in populo Dei quoq; obtinuit, & in ſacris ſanctificatio populi dictum fuit; uti in memorato exemplo Joſuæ: cùm enim ob ſacrilegium Acanis anathemati populus obnoxius, & ideo ab hoſte re-

Digitized by Google

pulſus eſſet, ipſe Deus præcipit Joſuæ: *Sanctifica populum, in medio Iſrael eſt anathema, non poterit ſtare coram hoſte niſi expiato eo. v. ſupr. §.*

§. 21. Hæc igitur cura ac religio tam piè & tantò ſucceſſu à barbaris & gentibus obſervata, à Chriſtianis utiq; populis negligi & vilipendi non debet.

SECTIO VI.
CONTINENS MONITA QUÆDAM QUIBUS CONCLUDITUR.

SUMMARIA.

§. 1. *Prædictorum ſumma repetitur.*

§. 2. *Plurimum intereſt inter prælium & bellum.*

§. 3. *Neq; mirandum, toties in eodem bello non modò fortunam præliorum, ſed & eandem ac totius belli exitum variare.*

§. 4. 5. *Quamvis vitio partis clades accepta ſit, belli tamen totius finis, niſi pœnale ſit, in juſtæ cauſa præjudicium vix eſt ut terminari ſoleat: quod duplici ratione firmatur.*

§. 6. uſq; ad 9. *Idem evincunt illuſtria exempla Reip. Romanæ.*

§. 10. *Cauſa, cur mirum videri non debeat, Romanos poſt clades acceptas animoſiores rediiſſe in bellum.*

§. 11. *Ante deletam Carthaginem Reſpubl. Romana juſtitiæ exemplar, & Romani religioſi ſemper in bellis erga Deos fuerunt.*

§. 1.

EVictum igitur hactenus, & tum ratione naturæq; conſenſu, tum autoritatibus ipſisq; rerum experimentis & gentiũ conſpirantibus ſuffragiis comprobatum eſt, omnia prælia juſto finiri exitu, eumq; equidem reſpondere belli cauſæ ac juſtitiæ, *Sect. I.* Modò (1) & judicium cauſæ ſit ſummi Numinis, (uti bella ſummorum Principum aut populorum) non hominum; & pars, quæ jus petit, pro tali id agnoſcat, & piè revereatur ac obſervet. *Sect. II.* (2) In gerendo bello debitam adhibeat diligentiam. *Sect. III.* Nec (3) temerè illud ſuſcipiat, *Sect. IV.* Nec (4.) impietate ſuâ aut populi conci-

concitaverit in ſe Summi Numinis vindictam, neq; eam expiatam placaverit. Quæ omnia requirit & ſanctitas ſummi Judicis & perfectisſimæ juſtitiæ ratio.

§. 2. Duo verò adhuc notanda videntur. (I) Plurimum intereſſe inter prælium & bellum; uti inter unum judicii actum, & inter totum judicium quo de causâ deciditur: Ita Cicero *ad Famil. L. VI. epiſt. 3.* ait: *Etſi quem exitum acies habitura ſit, divinare nemo poteſt, tamen belli exitum video.* Neque qui prælio vincitur, ſtatim etiam bello victus eſt: quin fieri poteſt, ut bello quis ſuperior fiat, etſi omnibus prope præliis antea victus fuerit: Uti res & cauſa fœderati Belgii, etſi plerisq; præliis Hiſpani vincerent, bello tamen obtinuit. Annibal pluribus antea præliis victor, ultimâ tandem pugnâ à Scipione victus, *non prælio modò ſe, ſed bello victum in Curiâ publicè faſſus eſt. Liv. L. 30. c. 35.* E contrariò Alexandri M. eum ſtatum fuiſſe, *ut uno prælio victus, bello victus fuiſſet,* cenſet idem *Liv. L. 9. c. 19.* At de Romanis dicitur quod aliquando quidem præliis, at nunquam bello victi fuerint: Ita *Liv. L. 8. Populus R. etſi nullo bello, multis tamen præliis victus fuit.* Et *Lucil. L. 26.*

Ut Romanus populus victus vi & ſuperatus præliis
Sæpè eſt multis, bello verò nunquam, in quo ſunt omnia.

Item Conſtantinus Imp. ad Saporem Perſam ſcribit *ap. Ammian. Marcell. L. 17. c. 5. In præliis rarò rem titubâſſe Romanam, in ſummâ verò bellorum nunquam ad deteriora prolapſam.*

§. 3. II. Deinde mirum videri non debere, in eâdem causâ eodemq; bello toties variare non modò fortunã præliorum, ſed & horum & totius belli exitum. Nam, ut præteream, ad cauſæ deciſionem belli magis quàm prælii exitum ſpectare, fiereq; poſſe, ut Deus acuendæ exercendæque virtuti ac pietati fortunam præliorum difficiliorem reddat, cauſæ tamen ſecundo belli exitu proſpecturus; etiam partis vitio, culpâ vel impietate variari jam expo-

 ſitum

ſitum eſt, quæ deinde repetitis præliis vel corriguntur, vel, ſi cladis cauſæ non tollantur, idem quoque belli erit exitus, isq; ex his rationib9 planè juſtus, etſi cauſæ non reſpondeat, quippe quam pars ſuo facto prodit ac perdit.

§. 4. Verùm vix tamen eveniet, ut, licèt facto & vitio partis ſeu Ducis ex prælio clades accepta ſit, totius tamen belli finis eodem fato in juſtæ cauſæ præjudicium, niſi *juxta Sect. V.* pœnale bellum ſit, terminetur. Etenim duæ cauſæ ſunt, quæ id non permittunt; prima, quòd, cùm facto & vitio Partis damnum tale acciderit, corrigi illud poſſit, cognitâ & declinatâ cladis causâ. Quæ verò civitas adeò eſſet vecors, ut acceptâ clade ejus cauſas omni ſtudio non perquirat, easq; cognitas & exploratas non omni curâ caveat?

§. 5 Altera eſt, quod ea eſt Summi Numinis ac juſtiſſimi judicis providentia, ac pro juſta causâ vigilia, ut eam non deſtituat planè ob culpam aut irreverentiam Ducis, modò non ea ſit Partis noxa non expiata, ut meruerit, bellum juſto Numinis arbitrio in vindictam verti, quod ſemper *juxta Sect. V.* excipimus. Idem ergo rerum arbiter, cui juſta cauſa & populi innocentia ac pietas curæ eſt, etiam curam habere ac proſpicere ſolet, ne ejus exequendæ neceſſaria inſtrumenta deſint: adeoq; vel de idoneis Ducibus & mediis proſpicit, vel parti injuſtæ vires aut conſilium adimit. Quemadmodum Æneas ait, facilè proditas fuiſſe inſidias equi Trojani, niſi fata & Deus mentem avertiſſent, apud Virg. *Æneid. 2. circa princ.*

Et ſi fata Deûm, ſi mens non læva fuiſſet,
Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras,
Trojaq; nunc ſtares, Priamiq; arx alta maneres.

Et Poſthumius Conſul Senatui ait: *Ad Caudium Dii immortales & veſtris & hoſtium Imperatoribus mentem ademerunt.* Romanis ſcilicet in bello ob ſpretam ſatisfactionem oblatam;

Samni-

Samnitibus in pace faciendâ ob turpem & vanam vindictam. Ita de Carolo Burgundo tradit Comin *L. 7. Niſi Deus mentem Caroli avertiſſet, non credibile illum pro re exiguâ bellum cum Helvetiis ſuſcepturum fuiſſe.*

§. 6. Horum omnium veritatem oculatâ quaſi experientiâ, certisſimisq; rerum monumentis evincit vetus illa Reſp. Romana. Ut enim prætereamus antiquisſima illa tempora, quibus cùm legati Romani temeritate ſuâ feciſſent ut à Gallis ipſa Roma in cineres redigeretur, Deus Camillum exulem creavit, qui rem vitio perditam pietate ac virtute reſtitueret: *de quo ſupr.* In primo bello Punico cùm Claudius Conſul, impietate & contemtu Numinis acerbisſimè patriam afflixiſſet, amiſsâ claſſe & maris Imperio *Polyb. Hiſt. L. 1. c. 52.* mox virtute & induſtriâ egregiè perfidos Pœnos ultus eſt Lutatius, belloq; eum finem impoſuit, qui cauſæ debebatur. *Polyb. d. L. 1. c. 61. & ſeqq.*

§. 7. In ſecundo bello Punico, cui itidem Pœnorum perfidia cauſam dederat, quanta clades ad Thraſimenum impietate Flaminii; quanta ad Cannas temeritate Terentii Varronis accepta eſt, adeò ut ferè quaſi in ſupremo funere complorata videretur res Romana! At dedit Deus deinde Fabium Maximum, Marcellum, & inprimis Scipionem illum, pietate in Deos non minùs quàm cœteris virtutibus admirabilem, qui causâ Diisq; fretus, cùm Italia ipſa poſt cladem Cannenſem ab Annibale victa eſſet, ex eâ exercitum in Africam traduxit, atq; in peregrino orbe, in ipſius Annibalis patriâ collatis ſignis conflixit, unoq; eo prælio omnia reſtituit, bello finem fecit, & orbis Imperium populo R. quæſivit. *Liv. L. 29. 30.*

§ 8. In bello Jugurthino, Aulus, Albini Conſulis frater, Proprætore relictus, peſſimis modis corrupto milite & diſciplinâ militari, & ſummâ ſuâ ignaviâ rem perdedi-

diderat, exercitu à Jugurthâ ſubjugum miſſo, etſi hic Rex nequiſſimus hominum, & in eum juſtiſſimæ Romanis belli cauſæ eſſent. *Salluſt. de Bell. Jugurth. c. 37. 38. 39.* tamen virtute deinde Metelli & C. Marii, etſi jam tum corrumpi cœperant mores Romani, reparata omnia, & deditione Jugurthæ bellum finitum fuit. *Salluſt d. Tract. cap. 45. ſeqq.*

§. 9. In bello Aſiatico, cum Ariſtonico de hereditate Attali geſto, avaritiâ & ignaviâ Licinii Craſſi Conſulis ingentem cladem paſſi ſunt Romani ipſo Conſule occiſo; ſed quam mox Perpenna Conſul, in Craſſi locum miſſus, ita reſtituit ut Ariſtonicus captus, Romamque miſſus & in carcere necatus fuerit, atq; hâc victoriâ Romanis hoc Aſiæ regnum acceſſerit. Juſtin. *L. 36. c. 4.*

§. 10. Quod igitur acerrimi Romanorum hoſtes in Romanis maximè admirati ſunt, ſcil. poſt clades acceptas eos animoſiores rediiſſe in bellum, tantopere mirum non videbitur, ſi perpendimus quod dictum eſt *ſupr. §. 4. & ſeqq.* ex ipſis cladibus, cognitis earum cauſis, doceri quid fugiendum cavendumque ſit. Id verò Romanos ſummâ contentione egiſſe, ut exploratis cladium & calamitatum bello perpeſſarum cauſis, eas corrigerent aut caverent, atque ita juſtitiæ cauſæ Diisque confiſi, majore animo in bella redirent, omnis Romana hiſtoria teſtatur.

§. 11. Atque ita vetus Reſp. Romana, inprimis qualis virtute, juſtitiâ, pietate, fide, animi deniq; conſtantiâ, ante deletam Carthaginem extitit, verum fuit juſti belli ritè gerendi exemplar. Nimirum non geſſêre bella niſi ex juſta cauſa, non niſi Deorum auſpiciis, adhibito omni ſtudio ne quid culpa fieret, vel ut factum repararetur, non niſi expiato populo & placatis Diis ubi opus videretur; Et poſt res benè geſtas Diis immortalibus ritè gratias honoresq; habuêre. Talibus bellis quæſitum eſt orbis Imperium.

S. D. G.

1318131

Digitized by Google